



FRANCISCI MASCLEF
PRESBYTERI
CANONICI AMBIANENSIS
GRAMMATICA HEBRAICA

A punctis aliisque inventis Massorethicis libera.

Accesserunt in hâc secundâ Editione tres Grammaticæ,

CHALDAICA, SYRIACA ET SAMARITANA ejusdem instituti.


TOMUS SECUNDUS

Grammaticas Chaldaïcam, Syriacam & Samaritanam complectens; nec non & novæ Methodi Argumenta & Vindicias.



PARISIIS,
Apud Viduam PAULUS-DU-MESNIL, viâ vulgò *Fromentel*, propè Puteum Certum.

MDCCXXXI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.



PRÆFATIO.

GRAMMATICÆ Hebraïcæ Chaldaïcam subjiciendam duximus. Nam cùm Librorum Danielis & Esdræ capita quædam Chaldaïcè scripta sint, Chaldaïcè sciat necesse est, qui sacrum Codicem omnino legere voluerit.

Deinde Chaldaïcarum Paraphraseôn duæ, scilicet Onkelosi in Legem & Jonathanis in Prophetas, magnæ sunt antiquitatis, & lucem sacro Textui afferunt. Licet autem non adeo antiquæ forent; vel hoc ipso tamen in aliquo pretio habendæ sunt, quòd apud Judæos parem habeant cum Scripturis auctoritatem. Cæteris Paraphrasibus, etsi recentioris notæ, sua etiam utilitas. Neque aliud in universum ad Judæos convincendos ac redarguendos conferre plus existimatur quàm Chaldaïcæ Paraphrases.

Accedit quòd ea est inter utramque Linguam cognatio, ut iis qui jam sciunt Hebraïcè facile sit intra paucas hebdomadas, saltem intra primum alterumve mensem, Chaldaïcè discere, quantùm ad Danielem & Esdram potioresque Paraphrastas intelligendos satis.

Iisdem de causis quibus Hebraïcam Grammaticam, & hanc à punctis liberam fecimus. Puncta enim quæ Textui Danielis & Esdræ addita sunt, nihilo sanctiora aut certiora punctis quæ Massorethæ cæteris libris apposuerunt. Paraphrasibus verò puncta inscripserunt hisce demum sæculis Rabbini nonnulli, à quibus dissentire prorsùs innoxium; cùm & ipsi inter se non parum dissentiant, & perversè admodum Paraphrases punctaverint.

Testis Elias Levita, à quo, quicquid eruditionis Chaldaïcæ apud Judæos & Christianos nunc conspicitur, derivatum est. Is Præfatione Dictionarii Chaldaïci sic loquitur: *Meâ quidem sententiâ multùm abest, quin compo-*

ni possit Grammatica Chaldaïca, propter exemplarium varietatem in dictionibus & in litteris, sed maximè in punctationibus, quibus plurimùm variant. Hoc autem procul dubio contigit quòd Interpretes illi interpretationes suas scripserunt sine punctis, eo quòd nondum existerent, ut clarè demonstravimus in Præfatione libri Massoreth. Accedit altera ratio, quòd exemplaria valde vetusta sint omnia sine punctatione. Non enim punctaverunt illa Massorethæ, ut viginti quatuor Libros sacros, sed longo post tempore ab uno aut pluribus hominibus sine nomine pro illorum arbitrio punctati sunt. Ideo punctationis illorum ratio tam perversa est, ut ex eâ Grammaticæ rationes & regulæ elici & componi non possint. Concidunt huc usque in lucem emissæ Grammaticæ Chaldaïcæ, si hâc trutinâ, quæ certissima tamen est pensandæ sunt.

Punctationis Chaldaïcæ varietatem & perversitatem non diffitentur Christianorum doctissimi. *Tanta est in punctis varietas*, inquit Joannes Merce-

rus Præfatione in Grammaticam Chaldæam, *ut observarim sæpè unum atque eundem locum ex Thargum aliter atque aliter à diversis Rabbinis proferri. Neque enim ita constanter sunt adjecta Chaldæis Versionibus puncta ut Bibliorum corpori ab Auctoribus Massoreth; sed, ut ait Elias Levita, pro cujusque arbitratu.*

Ludovicus *de Dieu* Præfatione in suam Grammaticam pag. 6. *Quamvis eam sequamur in Chaldaïcis punctandi rationem quæ vulgò usitata est, præsertim quæ à doctissimo Buxtorfio patre adhibita est, palam profiteor vix quicquam in eâ certum esse, & arbitrariam esse potiùs atque ab Europæorum arbitrio magis quàm à certâ Linguæ ratione petitam. Quàm inconstans est & plerumque vitiosa Thargumim in Venetâ Editione punctatio? Quantùm ab eâ differt quæ in Regiis invenitur? Quantùm ab utrâque Buxtorfiana, in splendido illo Biblico Opere Basileæ nuper edito? Ad paucula itaque Danielis & Esdræ capita veniendum erit, ut indè certa aliqua*

punctandi ratio inveniatur. At nec ibi invenire est. Quis enim non facilè animadvertat Hebraæ potiùs Linguæ quàm Chaldaïcæ rationem ibi passim iniri?

Non dissentit Christophorus Cellarius Grammaticæ Chaldaïcæ cap. 1. n. 17. *Ad pronunciationem quod attinet*, inquit, *nihil certi definiri potest.*

Ludovicus Cappellus Arcan. punct. l. 1. c. 9. n. 6. hæc habet, instituto nostro apprimè congrua: Puncta ... non sunt *ab ipsis Paraphrastis, sed sunt recens post Tiberienses Massorethas, à sciolo aliquo addita, uti agnoscunt doctissimi quique tùm Judæi, tùm Christiani, atque adeò ipsimet punctorum patroni. Et certè si ab ipsis Jonathâ & Onkeloso esset illa punctatio, neque tam distaret à punctatione quàm in Esdrâ & Daniele secuti sunt Massorethæ; neque eam immutare totam ausus esset aut tentasset Mercerus in 12. minorum Prophetarum Paraphrasi; eamque ad normam punctationis Massorethicæ in Daniele & Esdrâ observatæ*

reformare. Neque etiam corrigere & emendare totam voluisset Buxtorfius in novâ Bibliorum magnorum editione Basileensi, si uterque credidisset punctationem illam ab ipsis esse Paraphrastis. Adde quòd in primis Paraphrasis illius Venetis Editionibus litteræ אוי *infinitis in locis occurrunt, ubi punctis additis sunt planè superfluæ, punctis verò non additis sunt ad legendum utilissimæ. Undè liquet Paraphrasis Auctores eam sine punctis, solis consonarum figuris descripsisse; additis in lectoris subsidium, locis necessariis, litteris* אוי *lectionis Matribus, quas cùm non sustulisset qui primus Paraphrasi illi puncta addidit indoctus Judæus, eas posteà tum Mercerus, in 12. minorum Prophetarum, tùm ejus exemplo Buxtorfius in novâ Bibliorum magnorum quam instituit Editione, tanquam supervacaneas meritò expunxerunt.*

Meritò expunctas litteras אוי in Paraphrasibus Chaldaïcis non modò non credimus, sed potiùs asserimus vel in hoc solo capite veteres harum

Paraphraseôn Editiones recentioribus esse præferendas. Nec id soli asserimus, ut sequenti testimonio sub finem liquet. Juvat enim hîc exscribere quæ ex aliis exscripsit Richardus *Simon* lib. 2. cap. 18. Historiæ criticæ veteris Testamenti. *Les Exemplaires des Paraphrastes Chaldaïques soit manuscrits ou imprimez sont fort différens entre eux, principalement dans ce qui regarde les voyelles & la ponctuation. Le Texte Chaldaïque n'étant pas ponctué au commencement, les Juifs, qui y ont ajoûté ensuite les points pour en faciliter la lecture, les ont mis différemment, selon la connoissance qu'ils avoient de la Langue Chaldaïque. Il est même arrivé que quelques Chrétiens savans dans la Langue Chaldaïque ont pris la liberté de réformer en plusieurs endroits la vieille ponctuation du Chaldéen de ces Paraphrastes, & ils ont pris pour regle de leur réformation la ponctuation du Chaldéen de Daniel & d'Esdras. Enfin Buxtorf le pere a réfor-*

mé de nouveau la ponctuation de ces Paraphrases. Mais on peut dire que sa correction n'est pas encore dans sa perfection... Et ensuite. *A l'égard des points qu'on ajoûte au Texte Chaldaïque de ces Paraphrases, pour servir de voyelles, il est inutile de s'y arrêter : non-seulement parce qu'ils y ont été inserez par des Juifs peu habiles, & dans un temps où la Langue Chaldaïque n'étoit plus en usage, mais aussi parce que cette nouvelle ponctuation ôte la liberté qu'on a de traduire les mots Chaldaïques selon le sens qu'on juge être le meilleur. J'ose même dire que la réformation de Buxtorf, que Valton a préférée aux autres comme plus exacte, doit être entierement rejettée, parce qu'elle limite trop le sens du Texte. C'est pourquoi je crois qu'il est plus à propos de recourir aux plus anciennes éditions de ces Paraphrases, où nous trouvons quantité de lettres, principalement des* Iod *& des* Vau, *qui en ont été retranchez peu judicieusement. A quoi l'on peut ajoûter qu'il*

eſt dangereux de former une Methode ſur un petit nombre de regles que nous fourniſſent quelques chapitres de Daniel & d'Eſdras écrits en Chaldéen. De plus, le Chaldéen des Paraphraſes, ſur tout des dernieres, n'eſt pas le même que celui de Daniel & d'Eſdras, & par conſequent on ne doit pas regler l'un ſur l'autre.

Tot illuſtria teſtimonia, quibus longè plura attexi potuiſſent, invictè probant in condendâ Grammaticâ Chaldaïcâ nihil fuiſſe nobis de pronunciatione & punctatione ſatagendum.

Breviſſimam fecimus, rati ſuperfluum ea repetere quæ Hebraïcè docto jam abundè nota ſunt.

In explicandâ Danielis & Eſdræ Dialecto omnium Linguæ Chaldaïcæ Dialectorum antiquiſſimâ, ſi non puriſſimâ, (vergit enim ſummopere ad Hebraïcam,) magis immorati ſumus, ut decebat, & exigebat ſacri Textûs præſtantia. Secundum locum Onkeloſo tribuimus, tum quòd om-

nium antiquissima sit ejus Paraphrasis, tum quia sacrum Codicem pressiùs sequens, nec à litterâ tam sæpè discedens, quàm aliæ Paraphrases, Scripturæ Interpreti omnium utilissima est.



GRAMMAT.



GRAMMATICA CHALDAÏCA

A punctis libera.



CAPUT PRIMUM.

De Litteris Chaldaïcis, vocabulorumque Chaldaïcorum cum Hebraïcis affinitate.



HALDÆIS ac Hebræis eædem ſunt litteræ, quarum figuras, nomina, pronunciationem, diviſiones, ut & Chaldaïcè legendi rationem videre eſt in Grammaticæ noſtræ Hebraïcæ Capite primo.

Litteræ ſerviles & radicales utriſque eædem ſunt, niſi quòd ה quæ Hebræis

radicalis est, Chaldæis sit servilis. E contrà verò ש quæ Hebræis servilis est, sit Chaldæis radicalis.

Utrobique eædem sunt notæ Arithmeticæ.

Interpunctionis signa in Daniele & Esdrâ eadem quæ in cæteris sacrorum Bibliorum partibus. In Paraphrasibus verò Chaldaïcis nulla alia præter *Soph Pasuk*.

Qui Linguam Hebraïcam jam norunt, facillimè Chaldaïcam addiscunt; tùm quòd utriusque Linguæ Grammatica parùm discrepet, ut videbitur; tùm quòd innumera propè vocabula utrique Linguæ sint communia.

Quædam ne unâ quidem litterâ aut additâ aut mutatâ, ut

נפש	Anima.
רוח	Spiritus.
קרא	Vocavit.
צדיק	Justus.

Plurima litterâ aliquâ additâ vel initio vocis, ut

אדם	Sanguis, ex Hebræo	דם
שעבד	Servivit, ex	עבד
שלהבת	Flamma, ex	להבת

Vel in fine, ut

אבא	Pater, ex	אב

אמא	Mater, ex	אם
עמא	Populus, ex	עם

Vel etiam in medio, ut

כרסא	Solium, ex	כסא
פרנק	Oblectare, ex	פנק
שרביט	Sceptrum, ex	שבט

Vel in principio simul & fine, ut

אידא	Manus, ex	יד
איקרא	Gloria, ex	יקר

Quædam litterâ aliquâ detractâ, ut

חד	Unus, ex	אחד
נש	Homo, ex	אנש
ען	Ovis, ex	צאן
טב	Bonus, ex	טוב
דר	Generatio, ex	דור

Nonnulla litterâ aliquâ transpositâ, ut

חקל	Ager, ex	חלק
שרע	Porta, ex	שער
רכב	Genu, ex	ברך

Pleraque litterâ aliquâ mutatâ.
Mutantur autem

ב in פ

פרזל	Ferrum, ex	ברזל
פצע	Scindere, ex	בצע
פקתא	Vallis, ex	בקעה
פקע	Findere, ex	בקע

ז in ד

דהבא	Aurum, ex	זהב
דבח	Sacrificavit, ex	זבח
חדי	Pectus, ex	חזי
דכר	Memor, ex	זכר
דכא	Durum esse, ex	זך
דרע	Semen, Brachium, ex	זרע
אודנא	Auris, ex	אזן
אחד	Apprehendit, ex	אחז
כדבא	Mendax, ex	כזב
דא	Iste, ex	זה

צ in ט

קיטא	Æstas, ex	קיץ
טיהרא	Meridies, ex	צהרים
יעט	Consilium iniit, ex	יעץ
טור	Petra, ex	צור
טלל	Obumbravit, ex	צלל
טביא טביתא	Caprea, ex	צבי

צ in ע

ארע	Terra, ex	ארץ
עמרא	Lana, ex	צמר
עאן	Ovis, ex	צאן
עוק	Angustiâ affici, ex	צוק
ער	Hostis, ex	צר
רעה	Velle, ex	רצה
רעע	Frangere, ex	רצץ
נעא	Germinavit, ex	נוץ
ביעא	Ovum, ex	ביצה

ש in ס

סמר	Custodivit, ex	שמר
עסרא	Decem, ex	עשר
סב	Senuit, ex	שב
בסר	Caro, ex	בשר
סנא	Odio habuit, ex	שנא
סטן	Adversatus est, ex	שטן

ש in ת

תוב	Redire, ex	שוב
תבר	Fregit, ex	שבר
תלת	Tres, ex	שלש
תלג	Nix, ex	שלג
תור	Bos, ex	שור
אתא	Uxor, ex	אשה
דתאה	Herba, ex	דשא
תדין	Ubera, ex	שדים
שתין	Sexaginta, ex	ששם
עתר	Divitiæ, ex	עשר
אתכול	Botrus, ex	אשכול

Notum est Atticis esse familiare Sigma in ת convertere. Τέτταρα, pro τέσσαρα, &c.

Et hæ quidèm sunt quæ sæpiùs occurrunt consonantium permutationes. Mutantur quidèm & aliæ nonnullæ consonantes, sed rariùs.

ג in כ

כפריתא	Sulphur, ex	גפרית

ד in ט

טנא	Infamia, ex	דבה

כ in ק

קפל	Duplicare, ex	כפל
קובע	Galea, ex	כובע

ל in נ

נשכה	Cubiculum, ex	לשכה

ל in ר

ארמלא	Vidua, ex	אלמנה
ארו	Ecce, ex	אלו

נ in ר

בר	Filius, ex	בן
טמר	Abſcondit, ex	טמן

ס in ז

זור	Recedere, ex	סור

ק in כ

תכן	Ordinare, ex	תקן

ש in ט

קטר	Ligare, ex	קשר

ת in ט

טעה	Errare, ex	תעה

Quod ſpectat vocales אהוי frequentiſſimè fit unius in aliam commutatio.

ריש	Caput, ex	ראש
שיול	Sepulchrum, ex	שאול
מימר	Sermo, ex	מאמר
חטי	Peccavit, ex	חטא
ולד	Filius, ex	ילד
טאב	Benè, ex	טוב

Eædem vocales ſæpiſſimè non tantùm in principio & fine vocum, ſed etiam in earum ac ſyllabarum quarumcunque medio collocantur.

Reperiuntur in Daniele quædam vocabula ex Græco aſſumta; longè plura in Paraphraſibus.


כרוזא Dan. 3. 4.	vel à κήρυξ, præco. vel à κράζω, clamo.
כיתרוס Dan. 3. 5.	κιθάρα, cythara.
סומפוניה Dan. 3. 5.	συμφωνία, ſymphonia.
פסנתרין Dan. 3. 5.	ψαλτήριον, pſalterium.
משרוקיתא Dan 3. 5.	σύριγξ, fiſtula.
שבכה Dan. 3. 5.	σαμβύκη, Inſtrumentum muſicum.
מנוכא Dan. 5. 7.	μανιάκης, torques.
אויר Gen. 1. 20.	ἀὴρ, aër.
סיף Gen. 27. 3.	ξίφος, gladius.

הדיות Gen. 28. 17.	ἰδιώτης, communis.
אלא Gen. 49. 18.	ἀλλὰ, ſed.
אצטולא Gen. 45. 22.	στολὴ, ſtola, veſtis.
כורקום Deut. 20. 20.	χαράκωμα, propugnaculum.
כרוספדא Deut. 21. 12.	κράσπεδον, fimbria.
פונדקיתא Joſ. 2. 1.	πανδοκεύτρια, cauponaria.
אומל Joſ. 5. 2.	σμίλη, culter, novacula.
טימי Eſth. 3. 8.	τιμὴ, honor.
דורון Eſth. 9. 19.	δῶρον, donum.
דוכא Prov. 25. 6.	δοχεῖον, locus.

Indè etiam ſunt אוכלוס ὄχλος, *turba*; סנהדרין συνέδριον, *Sanhedrin*, דינרא δηνάριον, *denarius*, דיטגימא διάταγμα, *ſumma*, *Edictum*, אולון ὅλον, *totum*, נימוס νόμος, *lex*; & innumera alia.

In Paraphraſibus præſertim recentioribus invenire eſt innumera vocabula deſumta ex Arabicâ, Syriacâ, Perſicâ, Latinâ, Gallicâ, & cæteris Linguis, quæ earum auctoribus vernaculæ erant.





CAPUT SECUNDUM.

De Nomine.

I.

Quotuplex ſit Nominum Chaldaïcorum genus, & undè dignoſcatur.

DUPLEX tantùm eſt ſtrictè loquendo nominum genus apud Chaldæos: maſculinum, ut תור vel תורא *bos*; & fœmininum, ut תורתא *vacca*. Neutro genere carent.

Verùm quia non pauca nomina ſub eâdem terminatione utrumque genus complectuntur, & uſurpantur modò in maſculino, modò in fœminino, ut אורחא *via*, אבנא *lapis*, עידנא *tempus*, &c. Non incongruè addi poteſt & tertium genus, nempè commune.

Dignoſcitur autem Chaldaïcorum nominum genus, ut Hebraïcorum, terminatione, ſignificatione, adjunctis.

1°. Terminatione. Nam fœminina ut plurimùm terminantur in תא, יתא, ית, ות, & abjecto ת in ו & י; necnon & in א, & apud Danielem & Eſdram in ה.
Exempla proferentur infrà. Reliquæ

terminationes sæpè sæpiùs masculinorum sunt.

Eâdem viâ dignoscitur nominum pluralium genus. Quæ enim desinunt in ין aut א׳ ea masculina sunt. Cæteræ terminationes ferè omnes sunt fœmininorum.

2°. Significatione, uti in Grammaticâ Hebraïca observatum est dignosci nonnullorum nominum Hebraïcorum genus.

3°. Ex adjunctis, quæ ut plurimùm ejusdem generis sunt ac nomina quibus adjunguntur. Inter adjuncta annumeranda sunt & verba. Habent enim ut apud Hebræos, genus tam masculinum quàm fœmininum.

Cætera ut in aliis Linguis omnibus usus docebit. Parum refert in interpretationis Chaldaïcæ exordiis nosse accuratè vocabulorum genus.

II.

De Numeris Nominum Chaldaïcorum, & quomodo formentur.

NUMERI nominum Chaldaïcorum duo sunt; singularis, & pluralis: dualis nullus.

Pluralis masculinorum fit addendo singulari syllabam ין vel א׳.

Singul.		Plur.	Plur.
ספר	Liber.	ספרין	ספריא
מלך	Rex	מלכין	מלכיא
גבר	Fortis.	גברין	גבריא

Singularia maſculina in י, ut יהודי *Judæus*, pluralem ſimiliter formant in יא & in ין. At in ſecundo caſu, id eſt cùm terminantur in ין, ſingulare ſuum י mutant in א; ita ut plurale deſinat in אין.

יהודי	Judæus.	יהודיא	יהודאין
פרישי	Phariſæus.	פרישיא	פרישאין
תליתי	Tertius.	תליתיא	תליתאין
נכרי	Peregrinus.	נכריא	נכראין

Nonnulla tamen in י deſinunt ſimpliciter in ין & יין.

עני	Pauper.	ענין
נקי	Innocens.	נקין
חי	Vivens.	חיין
גדי	Hœdus.	גדיין

Pluralibus in ין, אין & יא ſæpè auferuntur ן & א finalia, tuncque ea pluralia deſinunt ſimpliciter in י etiam extra ſtatum conſtructum (de quo mox.) ספרי *libri.* מלכי *Reges.* יהודאי *Judæi.* חיי *viventes*, &c.

Pluralis fœmininorum formatur ſimiliter à ſingulari.

Fœminina quæ imitantur formam masculinorum, pluralem formant additione litteræ ן.

ארע	Terra.	ארען
נפש	Anima.	נפשן
עזק	Annulus.	עזקן
מתן	Donum.	מתנן

Quæ desinunt in א vel ה illas litteras mutant in ן.

שפירא	Pulchra.	שפירן
מדינה	Provincia.	מדינן

Quæ desinunt in ו vel י assumunt eandem litteram ן.

רבו	Myrias.	רבון
טיבו	Bonitas.	טיבון
דבבו	Inimicitia.	דבבון
זרעי	Familia.	זרעין

Quæ desinunt in ת, ות, vel ית hanc ipsam formam sequuntur; abjiciunt enim ת & assumunt ן.

ברכת	Benedictio.	ברכן
מלכות	Regnum.	מלכון
זכות	Puritas.	זכון
רבית	Usura.	רבין
מרעית	Grex.	מרעין

Fœminina in ות assumunt sæpè duplex ו, & desinunt in וון.

פלגות	Medietas.	פלגון
זכות	Puritas.	זכון
אומנות	Artificium.	אומנון
טבות	Bonitas.	טבון

Quæ desinunt in תא, ותא & יתא, pluralem habent singulari similem.

חכמתא Sapientia.	חכמתא Sapientiæ.
גבורתא Potentia.	גבורתא Potentiæ.
סהדותא Testimonium.	סהדותא Testimonia.
יהודיתא Judæa.	יהודיתא Judææ.

Quæ desinunt in ת, ות & ית hanc eandem formam sæpissimè sequuntur.

ברכת Benedictio.	ברכתא Benedictiones.
מלכות Regnum.	מלכותא Regna.
מרבית Nutrix.	מרביתא Nutrices.
מרעית Grex.	מרעיתא Greges.

Fœminina in את pluralem faciunt similiter in יתא & in אן.

יהודאת Judæa.	יהודיתא Judææ.
מצראת Ægyptia.	מצריתא Ægyptiæ.
נכראת Peregrina.	נכריתא Peregrinæ.
	נכראן

Quæ desinunt in תא pluralem interdum formant in אן.

מטרתא Custodia.	מטראן Custodiæ.
אגרתא Epistola.	אגראן Epistolæ.

Et hæ ſunt circa pluralium formationem communiores regulæ. Sunt exceptiones & anomaliæ.

Nam quod ſpectat pluralia maſculina, reperiuntur

1°. Pauciſſima in ים more Hebraïco. אנשים Dan. 4. 14. *Viri.* מלכים Eſd. 4. 13. *Reges*, &c. Hujuſcemodi exempla ſunt aut Amanuenſium lapſus, aut potiùs Hebraïſmi Danieli & Eſdræ valdè familiares.

2°. Quædam in יה. ביומיא סגיעיה Exod. 2. 23. *In diebus multis.* ה pro א, per commutationem Chaldæis tam frequentem, ut in uno eodemque Danielis verſu vox eadem modò deſinat in א, modò in ה: & quæ in unâ editione deſinit in א, in aliâ deſinat in ה.

3°. Aliqua ſimpliciter in א; nimirùm א pro יא, ut apud Hebræos ם nonnunquàm pro ים.

4°. Plurima deſinunt ſimpliciter in ן. אכלן *comedentes*, pro אכלין. מנדען Deut. 1. 15. *ſcientes*, pro מנדעין (undè Mandaitæ Gnoſticorum ſpecies) nempè ex ſuppreſſione vocalis י, ut apud Hebræos נשאם *Principes*, pro נשיאים: vel etiam quia Chaldæis mos eſt ut maſculina pluralia imitentur formam fœmininorum, ut ex ſequentibus ampliùs patebit.

5°. Interdum in ן & ין, licet ex

formæ ſint fœmininorum.

כרסא	Thronus.	כרסון
אריא	Leo.	אריון
ליל	Nox.	לילון ſæpè etiam
		ליליא
		& לילי

6°. Sæpè in הן.

שמא	Nomen.	שמהן
אבא	Pater.	אבהן

7°. Multa in ת, ית, ות & וות; & additâ finali א, in תא, יתא & ותא.

רעי	Paſtor.	רעיתא & רעית	Paſtores.
אבא	Pater.	אבות	Patres.
סוס	Equus.	סוסוות	Equi.
מלי	Plenus.	מליתא	Pleni.

8°. Quædam in הת. Fortè הת pro ות, ob vocalium commutationem, quæ apud Chaldæos frequentiſſima eſt. אבהת Dan. 2. 23. *Patres*, pro אבות. שמהת Eſd. 5. 5. & Gen. 46. 8. pro שמות *nomina.*

Quod autem ſpectat pluralia fœminina, ea viciſſim imitantur interdùm formam fœmininorum.

ארמלא	Vidua.	ארמלין	Viduæ.
מלה	Verbum.	מלין	Verba.
קריא	Urbs.	קרוין	Urbes.
אמתא	Cubitus.	אמין	Cubiti.

Sunt etiam apud Chaldæos nomina pluralia quæ ſimul utramque terminationem habent, maſculinam & fœmininam; ut עפרותין Job. 28. 6. *pulveres*.

בר *Filius*, pluralem deſumit ab Hebræo בן; facit enim בנין & בניא. Similiter ברא *filia*, pluralem deſumit ab Hebræo בת; facit enim בנות & בנון.

III.

De Caſibus.

NOMINA Chaldaïca, ut & Hebraïca non ſortiuntur varias terminationes juxta caſuum varietatem, uti fit apud Græcos & Latinos. Quo ergò in caſu accipienda ſint dignoſcitur primùm conſtructione & loci exigentiâ; deindè particulis ſeu præpoſitionibus quibuſdam, ipſis à fronte adjectis, ut apud Hebræos.

		מלך	Rex.
די מלך	vel	דמלך	Regis.
		למלך	Regi.
למלך	vel	ית מלך	Regem.
		מלך	O Rex.
מן מלך	vel	ממלך	A Rege.

Dictum eſt agnoſci caſus Chaldaïcos præcipuè conſtructione & loci exigentiâ. Nam 1°. Nomina Chaldaïca ſæpiſſimè

ſunt in caſibus obliquis, & in omnibus caſibus obliquis eſſe poſſunt, licet omni particulâ, vel litterâ caſus deſignante careant.

2°. Littera ל non tantùm dativum, ſed & genitivum, בית משרי לחיותא Sophon. 2. 12. *locus habitationis ferarum*; imò & accuſativum ſæpè deſignat. Sæpiſſimè enim adjungitur caſibus verborum quæ poſt ſe videntur accuſativum poſtulare. להובדה לכל Dan. 2. 12. *ad perdendum omnes*. לדניאל רבי ibid. 48. *Danielem magnum fecit.*

3°. Particula ית cum paſſivis non accuſativum, ſed nominativum indicat ut apud Hebræos. ושמיע קדם ייי ית קל פתגמיכון Deut. 1. 34. *Et audita eſt coram Domino vox ſermonum veſtrorum*. Jungitur etiam caſibus verborum quæ poſt ſe videntur dativum exigere. ואתיבתון יתי Deut. 1. 14. *Et reſpondiſtis mihi.*

4°. Ablativus non tantùm per præpoſitionem מן, aut illius diminutivum מ, ſed perquàm plurimas præpoſitiones deſignatur.

IV.

De Nominum Chaldaïcorum ſtatu emphatico, conſtructo & abſoluto.

CHALDÆIS, Syris & Samaritanis triplex eſt nominum ſtatus; *emphaticus, conſtructus* & *abſolutus.*

Nomen dicitur in ſtatu emphatico, cùm eam habet terminationem quâ exprimitur emphaſis illa, quæ per præfixum Hebræorum ה, & articulum Græcorum ὁ ἡ τὸ denotatur.

Quod ut clariùs intelligatur, hîc revocandum eſt in Grammaticâ Hebraïcâ non ſemel dictum eſſe vocalem ה præfixam nomini interdùm æquivalere articulo Græcorum ὁ ἡ τὸ, nominique cui annectitur emphaſim quamdam, novumque ſignificationis gradum tribuere. Hinc eo in caſu vox Hebraïca המלך non vertenda eſt ſimpliciter *Rex*, ſed *Rex ille.*

Simile quid apud Chaldæos reperire eſt. Emphaſim enim quam præfixum ה tribuit interdùm nominibus Hebraïcis, exprimunt non litteram ה nominibus præfigendo, ſed eorum nominum finalem ſyllabam eo modo qui mox exponendus eſt efformando.

Nomen dicitur in ſtatu conſtructo ſeu regiminis, cùm poſt ſe genitivum aut

alium caſum obliquum regit.

Dicitur in ſtatu abſoluto, cùm nec eſt in ſtatu emphatico, nec conſtructo.

Circa formam ſeu terminationem nominum in ſtatu emphatico quatuor ſunt obſervanda.

1°. Eam terminationem in maſculinis ſingularibus formari ab abſolutâ, adjectione vocalis א in fine dictionis.

Forma abſoluta.		Forma emphatica.
מלך	Rex.	מלכא
ספר	Liber.	ספרא
גבר	Vir.	גברא

Hinc fit ut in adjectivis maſculinum emphaticum non differat à fœminino.

תקיפא	Robuſtus ille.	תקיפא	Robuſta.
צדיקא	Juſtus ille.	צדיקא	Juſta.

In Daniele & Eſdrâ plerumque pro littera א ponitur ה. מלכה Dan. 2. 11. in Bibliis Menaſſeh ben Iſraël, pro מלכא, uti legitur in Bibliis Leuſdenianis.

2°. In maſculinis pluralibus forma emphatica fit ab abſolutâ, mutando ין in יא.

Forma abſoluta.		Forma emphatica.
מלכין	Reges.	מלכיא
ספרין	Libri.	ספריא

3°. In fœmininis singularibus forma emphatica fit ab absolutâ mutando א in תא.

Forma absoluta.		Forma emphatica.
חכמא	Sapientia.	חכמתא
גבורא	Potentia.	גבורתא
בריא	Creatura.	בריתא
אצבעא	Digitus.	אצבעתא

In fœmininis quorum forma absoluta desinit in תא, forma absoluta eadem est cum emphaticâ.

Forma absoluta.		Forma emphatica.
מלכתא	Regina.	מלכתא
עולימתא	Puella.	עולימתא

4°. In fœmininis pluralibus forma emphatica fit ab absoluta mutando ן in תא. Undè fit ut in fœmininis singularis & pluralis numerus eodem modo terminentur in formâ emphaticâ.

Forma absoluta.		Forma emphatica.
חכמן	Sapientiæ.	חכמתא
גבורן	Potentiæ.	גבורתא
ברין	Creaturæ.	בריתא
אצבען	Digiti.	אצבעתא

Notandum formam emphaticam sæpissimè usurpari pro absolutâ, id est iis

in locis in quibus nulla emphaſis. והוא נהורא Gen. 1. 3. *Et facta eſt lux.* נהורא pro נהור. Gen. 2. 8. *Et plantavit Dominus Deus* גנתא *hortum.* גנתא pro גנא. Neque enim his in locis verti licet, *& facta eſt hæc lux, plantavit Deus hunc hortum,* cùm de luce, deque horto nondùm ulla facta ſit mentio.

Circa formam ſeu terminationem nominum in ſtatu conſtructo, ſeu regiminis, ſciendum nomina Chaldaïca eo in ſtatu aliquam ex ſuis litteris finalibus deperdere, aut mutare; eodem ferè modo ac nomina Hebraïca, ut ſequentibus regulis patebit.

Prima. Maſculina ſingularia in regimine poſita amittunt ut plurimùm א finale: tuncque ſtatus abſolutus & conſtructus idem eſt. מלך מלכיא Dan. 2. 36. *Rex Regum.* ספר תולדות *Liber generationis.* משכן זמנא Exod. 27. 21. *Tabernaculum teſtimonii.* Extra regimen legeretur, ספרא, משכנא, מלכא.

Secunda. Maſculina pluralia in regimine poſita amittunt ן vel א finalia, fiuntque terminatione Hebraïcis prorsùs ſimilia. בני אנשא Dan. 2. 38. *Filii hominum.* חכימי בבל Dan. 2. 12. *Sapientes Babylonis.* רישי טוריא Gen. 8. 5. *Capita montium.* ידעי בינה Dan. 2. 21. *Scientes intelligentiam.* תקיפי לבא Iſa. 46. 12. *Obſtinati corde.*

Verùm ut in Hebraïcis, ab his regulis nonnunquàm diſceditur. שבטא גד Joſ. 1. 12. *Tribus Gad.* צרא מחשבת Gen. 6. 5. *Figmentum cogitationum.* מיא טופנא Gen. 6. 17. *Diluvium aquarum.* לגוא אתון Dan. 3. 6. *In medio fornacis.*

Tertia. Fœminina ſingularia in א mutant א in ת. Quæ deſinunt in תא amittunt א. Quæ verò deſinunt in ית, amittunt ת. עבידת בית אלהא Eſd. 4. 23. *Opus domûs Dei.* עבידת pro עבידא. מלת מלכא Dan. 2. 10. *Sermo Regis.* מלת pro מלתא. איתת חברך Exod. 20. 17. *Uxor proximi tui.* איתת pro איתתא. שרו חצד Jer. 2. 3. *Principium meſſis*, pro שרות חצד.

Quarta. Fœminina pluralia in ן mutant ן in ת. Quæ verò deſinunt in תא amittunt א. בנות מואב Iſa. 16. 12. *Filiæ Moab.* בנות non בנון. אצבעת רגליא Dan. 2. 42. *Digiti pedum.* אצבעת non אצבעתא. כל מלכות ארעא 2. Reg. 19. 19. *Omnia regna terræ.* מדינות בבל Dan. 2. 48. *Provinciæ Babylonis.* non מלכותא nec מדינותא.

Verùm ut in Hebraïcis, non ſemper obſervantur duæ iſtæ regulæ.

Notandum nomina ſive maſculina, ſive fœminina, tam ſingularia quàm pluralia, habentia poſt ſe genitivum cum articulo די, aut illius diminutivo ד, nullam ut plurimùm litteram deperdere, eodemque modo ſcribi ac ſi non eſſent

in regimine. שליטא די מלכא Dan. 2. 15. *Præfectus Regis*. גלותא די יהוד Dan. 2. 23. *Captivitas Judæorum*. מימרא דייי *Verbum Domini*. מלכיא דמצרים *Reges Ægypti*. שבטא דשמעון *Tribus Simeonis*. ארונא דקיימא *Arca testimonii*. חוטרין דען *Caulæ ovium*.

Dictum est *ut plurimùm*. Legitur enim Dan. 4. 12. & 20. באסור די פרזל *In vinculo ferri*. אסור, non אסורא.

Notandum similiter statum constructum sæpè poni pro absoluto. Gen. 1. 10. *Congregationem aquarum appellavit* ימי *maria*. ימי pro ימין Gen. 2. 7. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum* דחיי *vitæ*. חיי pro חיין Exod. 12. 38. עאן ותורי *Oves & boves*, &c.

Notandum denique præfixa בכלם nomen ponere in regimine. כנחתי מעצרא Jerem. 25. 30. *Sicut descendentes in torcular*. בית ערוקי מן מלכיא Jerem. 25. 35. *Domus fugitivorum à Regibus*.

V.

De variis Nominum Chaldaïcorum Speciebus.

NOMINUM Chaldaïcorum

I. Alia sunt propria, alia appellativa.

II. Alia sunt substantiva, ut אבא *pater*,

בר *filius*, לבא *cor*, יומא *dies*; alia adjectiva.

Adjectiva dicuntur ea omnia quæ moventur de masculino in fœmininum per adjectionem litteræ א; apud Danielem verò & Esdram per adjectionem litteræ ה.

קדיש Sanctus.	קדישא	קדישה	Sancta.
תקיף Robustus.	תקיפא	תקיפה	Robusta.
יאי Pulcher.	יאיא	יאיה	Pulchra.
רוי Ebrius.	רויא	רויה	Ebria.

Interdùm per adjectionem syllabæ תא.

תקיף	Robustus.	תקיפתא	Robusta.
זעיר	Parvus.	זעירתא	Parva.
מלך	Rex.	מלכתא	Regina.

Nonnunquàm etiam per adjectionem syllabæ יא.

ריקן	Vacuus.	ריקניא	Vacua.
צדה	Vastatus.	צדיא	Vastata.

Adjectiva in י fœmininum formant in אה, י, יא & יתא.

נכרי Extraneus.	נכראה	נכריתא	Extranea.
מצרי Ægyptius.	מצראה	מצריתא	Ægyptia.
אחרי Alienus.	אחרי	אחריתא	Aliena.
רביעי Quartus.	רביעיא	רביעיתא	Quarta.

Comparativa & superlativa propriè loquendo non habent Chaldæi; sed gradus

gradus iſtos eodem modo exprimunt ac Hebræi.

Comparativum quidem per præpoſitionem מן, aut ſolam, aut cum adverbio יתיר *magis.* לא טב אנא מאבתי 1. Reg. 19. 4. *Non bonus ego præ patribus meis:* id eſt non melior ſum patribus meis. רם מכל עמא 1. Sam. 9. 2. *Excelſus præ omni populo*, id eſt excelſior. בשמין יתיר מן דיבשא Pſal. 19. 11. *Dulces pluſquàm mel.*

Superlativum verò exprimunt per adverbium לחדא *valdè*, aut aliud æquivalens. מארעא רחיקא לחדא אתר Joſ. 9. 9. *De terrâ longinquâ valdè venerunt.* עינתן לחדא Num. 12. 3. *mitiſſimus.*

III. Nomina Chaldaïca alia ſunt primitiva, alia derivativa.

Primitiva dicuntur ea quæ radicalibus litteris omnibus & ſolis conſtant, id eſt quæ ſunt ipſa radix nullatenùs immutata. Conſtat autem radix Chaldaïca, ut & Hebraïca, cum quâ plerumque eadem eſt, tribus litteris, nonnunquam pluribus, raro paucioribus.

Nomina derivativa ſunt ea quæ ab ipsâ radice per additionem aut ſubſtractionem quarumdam litterarum formata ſunt.

IV. Alia perfecta ſunt, alia imperfecta.

Perfecta ſunt ea quæ omnes radicis ſuæ litteras conſervant, ſive eas ſolas ha-

beant, sive alias superaddant: ut מלך *Rex*, תור *bos*, אבן *lapis*, אורחא *via*, אידא *manus*, מדבחא *altare*, עולימתא *puella*.

Imperfecta seu defectiva sunt ea in quibus una aut altera radicis littera supprimitur. מתן *donum*. טולא *umbra*. אתא *mulier*. מלה *verbum*. עטא *consilium*. רו *aspectus*. חזו *visio*. עלאה *excelsus*.

V. Alia simplicia sunt, ut appellativa omnia hucusque recensita. Alia composita, quæ ferè semper propria sunt. עבד נגו *Abdenago*. בל טש אצר *Balthazar*, &c. Rarissimè appellativa, ut טולימותא *umbra mortis*, ex Hebræo צלמות

VI. Sunt etiam Chaldæis nomina Patronymica, quorum masculina terminantur in י, יא & אה, pro libito.

מצראה	מצריא	מצרי	Ægyptius.
כסדאה	כסדיא	כסדי	Chaldæus.
יהודאה	יהודיא	יהודי	Judæus.
מדאה	מדיא	מדי	Medus.
פרסאה	פרסיא	פרסי	Persa.

Fœminina verò in אה & יתא.

מצראה	מצריתא	Ægyptia.
יהודאה	יהודיתא	Judæa.
מואבאה	מואביתא	Moabitis.

VII. Sunt denique nomina numeralia, tam cardinalia, quàm ordinalia,

quæ, quia frequentiùs occurrunt, non inutile erit hîc oculis ſubjicere.

Numeri cardinales.

Fœminini.		Maſculini.	
חדא	Una	חד	Unus.
תרתין		תרין	Duo.
תלת		תלתא	Tres.
ארבע		ארבעא	Quatuor.
חמש		חמשא	Quinque.
שת		שתא	Sex.
שבע		שבעא	Septem.
תמני		תמניא	Octo.
תשע		תשעא	Novem.
עסר		עסרא	Decem.

Pro תרין *duo*, legitur תרי & תרוי. Pro עסרא *decem*, Onkelos ſemper habet עשר.

Numeri generis fœminini præter terminationem indicatam habent & aliam in תי. תרתי, תלתי, ארבעתי, חמשתי, שתתי, שבעתי, תמניתי, תשעתי, עסרתי.

חדא עסרי	חד עסר	Undecim.
תרתא עסרי	תרי עסר	Duodecim.
תלת עסרי	תלתא עסר	Tredecim.
ארבע עסרי	ארבעא עסר	Quatuordecim.
חמש עסרי	חמשא עסר	Quindecim.
שת עסרי	שתא עסר	Sexdecim.
שבע עסרי	שבעא עסר	Septemdecim.

תמני עסרי	תמניא עסר	Octodecim.
תשע עסרי	תשעא עסר	Novemdecim.

Contrahuntur interdùm hi numeri in hanc formam.

תריסרי	תריסר	12
תלתיסרי	תלתיסר	13
ארביסרי	ארביסר	14
חמיסרי	חמיסר	15
שתיסרי	שתיסר	16
שבסרי	שבסר	17
תמניסרי	תמניסר	18
תשסרי	תשסר	19

Communis generis.

עסרין	Viginti.
תלתין	Triginta.
ארבעין	Quadraginta.
חמשין	Quinquaginta.
שתין	Sexaginta.
שבעין	Septuaginta.
תמנין	Octoginta.
תשעין	Nonaginta.
מאה	Centum.
מאתין & מאתן	Ducenti.
תלת מאה	Trecenti.
Et sic de cæteris.	
אלפא	Mille.
אלפין	Millia.
רבו	Myrias.
רבנן רבבות	Myriades.

Numeri ordinales.

קדמיתא	Prima.	קדמאה	Primus.
תניתא		תנין	Secundus.
תליתיתא		תליתאה	Tertius.
רביעיתא		רביעאה	Quartus.
חמישיתא		חמישאה	Quintus.
שתיתיתא		שתיתאה	Sextus.
שביעיתא		שביעאה	Septimus.
תמניתא		תמניאה	Octavus.
תשיעיתא		תשיעאה	Nonus.
עסיריתא		עסיראה	Decimus.

Supra decimum Chaldæi ut & Hebræi utuntur numero cardinali pro ordinali. בתרי עשר ירחין בעשרין ושבעה לירחא 2. Reg. 25. 27. *Duodecimo mense, vigesimâ & septimâ mensis.* בשנות ארבעין Num. 33. 38. *In anno quadragesimo.* והוה בתלתין ושבע שנין Jerem. 52. 31. *Et fuit in trigesimo & septimo anno.* בשנות עשרין Jer. 52. 30. *In anno vigesimo.*

Habent tamen Chaldæi ut & Syri numerum ordinalem ab undecimo ad vigesimum, quo utuntur interdum. חדסראי *undecimus.* חדסראה & חדסריתא *undecima.* תריסראי *duodecimus.* תריסראה & תריסריתא *duodecima;* & sic de cæteris.

Ipsi Daniel & Esdras pluries utuntur numero cardinali infra decimum pro ordinali, hoc in Capite præ Paraphrastis

Hebraiſmum ſapientes. בשנות חדה Dan. 7. 1. *In anno uno*, id eſt *primo* Regis Balthaſar. Similiter & Eſdr. 5. 13. & 6. 3. בשנות שבע Eſd. 7. 7. *In anno ſeptimo*. היא שנות שת Eſd. 6. 15. *Ipſe eſt annus ſextus*.

Quod ſpectat numerorum ordinalium terminationem, variat ea admodum. Sextuplex apud ſolos Danielem & Eſdram reperitur. In א, ה, י; אה, יא, יתא: Dan. 5. 16. & 29. תלתא *tertius*. Ibid. v. 7. תלתי. Eſdr. 6. 15. תלתה. Dan. 2. 39. תליתאה: Dan. 2. 40. מלכו רביעיא *Regnum quartum*. Dan. 7. 19. היותא רביעיתא *Beſtia quarta*. Sola terminatio יתא fœmininorum propria eſt. Reliquæ maſculinis & fœmininis conveniunt.

Non omittendum pro קדמאה & קדמי *primus*, nonnunquàm legi per ſyncopen קמי.



CAPUT TERTIUM.

De Pronomine.

I.

De Pronomine primitivo.

PRONOMEN primitivum pro tribus perſonis ſic inflectitur.

Prima persona communis generis.

Singularis.

אנא	Ego.
דילי	mei.
לי	mihi.
יתי	me.
מני	à me.

Pro אנא sæpè scribitur אנה ob frequentissimam mutationem א in ה, & vicissim. Pro דילי, דידי. Pro לי, לדידי. Pro מני, מיני, quod idem est: cùm מן & מין idem sint.

Pluralis.

אנחנא	Nos.
דילן	nostrum.
לן	nobis.
יתן	nos.
מנן	à nobis.

Pro אנחנא per abbreviationem נחנא, & pro utroque אנחנה & נחנה. Nonnunquàm etiam אנן & הנן.

Pro דילן non raro דידן.

Sæpè adjicitur א in fine casuum omnium, legiturque דילנא, לנא, יתנא, מננא.

Secunda perſona.

Singularis.

Fœminina.	Maſculina.	
את	את	Tu.
דיליך	דילך	tui.
ליך	לך	tibi.
יתיך	יתך	te.
מניך	מנך	à te.

Pro את ſæpè legitur אנת & אנתה.

Additur interdùm י in fine caſuum obliquorum, præſertim fœmininorum. לכי pro לך. Dicitur ad Adam Gen. 3. 17. *Maledicta terra* בדיליכי *propter te.*

Aufertur ſæpè è caſibus obliquis fœmininis י ante ך, legiturque דילך pro דיליך &c.

Pluralis.

אתין	אתון	Vos.
דילכן	דילכון	veſtrum.
לכן	לכון	vobis.
יתכן	יתכון	vos.
מנכן	מנכון	à vobis.

Pro אתון & אתין legitur ſæpè אנתון & אנתין, quod idem eſt; cùm in hiſce pronominibus plurimiſque aliis vocabulis, ut jam viſum eſt, & infrà iterùm vide-

bitur, נ inferatur absque ullâ sensûs immutatione. Pro אתין sæpissimè legitur אתן. Esdr. 5. 9. & 7. 17. 18. 24. לכם *vobis*, pro לכון.

Tertia Persona.

Singularis.

היא	Hæc.	הוא	Hic.
דילה		דיליה	hujus.
לה		ליה	huic.
יתה	hanc.	יתיה	hunc.
מנה	ab hac.	מניה	Ab hoc.

Pro הוא legitur הו, הא, איהו, איהי, איהוא. Pro היא, הא, איהי, איהא.

Sæpè aufertur י è casibus obliquis masculinis, legiturque דילה, לה, יתה, מנה, ita ut hi casus à fœmininis non discrepent, quod interpretantibus nullam difficultatem parit.

Pluralis.

אנין	Hæ.	אנון	Hi.
דילהן	harum.	דילהון	horum.
להן		להון	his.
יתהן	has.	יתהון	hos.
מנהן		מנהון	ab his.

Pro אנון legitur אינון, הנון, הם, הום, המון, & per apocopen המו. הותב המו Esd. 4. 10. *Habitare fecit eos.* Id ipsum fit in

casibus obliquis. Legitur enim Esd. 5. 5. 9. & 10. & 7. 24. להם & להום. Id ipsum fit in Paraphrasibus etiam recentioribus. Jerem. 10. 11. Psal. 37. 40. 64. 6. & alibi sæpiùs.

Pro אנין legitur sæpè הנין & אינין; inseriturque sæpissimè in casibus obliquis י ante ן. מנהין, יתהין, להין, דילהין.

Notandum pronomen fœmininum non raró p[illegible] pro masculino, & vice versâ. Nec debet id ullatenùs Tyronem movere, cùm ad interpretationem parùm admodum referat nosse pronominum genus.

II.

De Pronomine derivativo seu possessivo.

SUNT Chaldæis pronomina possessiva *meus, tuus, suus*, at Hebræorum ritu, eaque ab eorum Grammaticis vocantur affixa, ob rationem alibi datam. Dabimus autem ea affixa primùm à quâlibet voce separata, deindè nomini conjuncta.

Affixa separata.

י Meus, mea, mei, meæ.
נא noster, nostra, nostri, nostræ.
ך tuus, &c. cùm sermo dirigitur ad personam masculini generis.

יך tuus, &c. cùm sermo dirigitur ad personam fœminini generis.
כון vester, &c. cùm sermo dirigitur ad personam masculini generis.
כן vester, &c. cùm sermo dirigitur ad personam fœminini generis.
יה ejus, cùm sermo est de masculino.
ה ejus, cùm sermo est de fœminino.
הון eorum.
הן earum.

Pro affixo י nonnunquàm legitur א. אלהיה דאבא Gen. 31. 42. *Deus patris mei.* תיחון ית אבא וית אמא Jos. 2. 13. *Vivere facietis patrem meum & matrem meam.* בינא ובינך 1. Sam. 24. 16. *Inter me & inter te.*

Pro נא noster, sæpè scribitur נן vel etiam ן.

Pro ך sæpè יך & יכי. בדיליכי Gen. 3. 17. *propter te.* Vicissim pro יך ponitur interdùm יכי, nec non & ך.

Pro כון ponitur כום & כם. בית אלהכם Esd. 7. 17. *Domus Dei vestri.*

Pro כן legitur sæpè כין.

Pro יה sæpissimè ה, הי, והי & וי.

Pro ה interdùm הא.

Pro הון sæpè הום & הם. Esd. 7. 16. בית אלההם *Domus Dei sui.* Interdùm etiam ן.

Affixa nomini conjuncta.

ספרי	Liber meus.
ספרנא	Liber noſter.
ספרך	Liber tuus, ô vir.
ספריך	Liber tuus, ô fœmina.
ספרכון	Liber veſter, ô viri.
ספרכן	Liber veſter, ô fœminæ.
ספריה	Liber ejus viri.
ספרה	Liber ejus fœminæ.
ספרהון	Liber eorum.
ספרהן	Liber earum.

ספריי	Libri mei.
ספרינא	Libri noſtri.
ספריך	Libri tui.
ספריכון	Libri veſtri, ô viri.
ספריכן	Libri veſtri, ô fœminæ.
ספרוהי	Libri ejus viri.
ספרהא	Libri ejus fœminæ.
ספריהון	Libri eorum.
ספריהן	Libri earum.

Affixum ה ſæpè ponitur loco יה & viciſſim.

Affixa יה & ה junguntur ſæpiùs ſingularibus: וי & והי item & הא pluralibus. Dicitur *ſæpiùs*; legitur enim חדוהי Dan. 2. 3. *Pectus ejus.* פירוהי Gen. 2. 9. *Fructum ejus.*

Plurale maſculinum junctum affixo י

regulariter efficere deberet ut ea vox per duplex ׳ terminaretur. ספריי *Libri mei:* & id interdùm occurrit. At ut plurimùm duplex illud ׳ in unum coalescit. ספרי *Libri mei.* מגרמי Gen. 2. 23. *De ossibus meis.*

Sæpè à pluralibus masculinis ante affixa aufertur ׳ characteristica pluralium. עבדך Gen. 42. 10. *Servi tui.* דינך Gen. 18. 25. *Judicia tua.* אחנא Deut. 1. 28. *Fratres nostri.* בין שנה Dan. 7. 5. *Inter dentes ejus.* אבהתך Esd. 4. 15. *Patres tui.* אשוי בנך סגיאין Gen. 13. 16. *Ponam filios tuos multos.*

Vicissim nonnunquàm ante affixa nominum singularium inseritur ׳. דחלתיכון Gen. 9. 2. *Timor vester.* חיליהון Gen. 2. 1. *Exercitus eorum.* Exercitus in singulari.

Affixa Chaldaïca, ut & Hebraïca, nomen cui adjunguntur ponunt in regimine; undè fit ut illud nomen finali suâ privetur, ut dictum est. Verùm non semper id contingit. Gen. 31. 43. Respondit Laban ad Jacob, & dixit: בנתא בנתי, ובניא בני, ועאנא עאנאי *Filiæ istæ, filiæ meæ; & filii isti, filii mei, & oves istæ sunt oves meæ.* עאנאי. Regulariter dicendum fuisset בנתי בני & עאני, ut.

Affixa verborum non sunt omninò eadem quæ nominum: sed de iis infrà.

III.

De Pronomine demonstrativo.

PRÆTER הוא *hic* & היא *hæc*, de quibus §. 1. est Chaldæis & aliud pronomen demonstrativum respondens Hebræo זה, nimirùm דך communis generis, *hic* & *hæc*, *iste* & *ista*: & דא fœminini generis, *hæc*, *ista*.

Ejusdem cum דך significationis sunt דיך, הידין, הדין, דין, דן, דכן, דיכי, & fœminina דנא & דנה.

In plurali דנן, דנה, דנא *Hi* & *isti*, *hæ* & *istæ*.

Similiter אילך, אליך, אלך, אלן, אל, הלין, האלין, אילין, אלין, אלו.

Hebræo עצם respondet כרן. בכרן יומא הדין Gen. 18. 23. *In ipsâ die illâ.*

IV.

De Pronomine relativo.

PRONOMEN relativum די *Qui*, *quæ*, *quod*, utriusque generis ac numeri, respondens Hebræo אשר.

Sæpè loco די usurpatur illius diminutivum ד eodem modo ac sensu, quo apud Hæbræos loco אשר usurpatur illius diminutivum ש.

Hinc littera ד inter præfixas & serviles annumeranda.

Interdùm loco די usurpatur דא & דה *quæ*, fœminini generis.

Obliqui casus exprimuntur mediantibus particulis ל, ית, מן.

V.

De Pronomine interrogativo.

PRONOMINA interrogativa sunt מי, מה, מא, מאן, מן, מנא *Quis, quæ, quod?*

Non semper interrogativa sunt מן & מי; nam sequente relativo ד aut די, idem valent ac *is, ea, id.* מן די לא יפל. Dan. 3. 6. *Is qui non concidet.* מן דשביקין ליה מרודוי Psal. 32. 1. *Is cui remissæ sunt ei rebelliones ejus.*

Hebræo איזה respondent אידא, אידין, *ecquis, ecqua, quisnam, quænam, qualis?*

מן די, דמן ד *Quisquis.*

כמה *Quot?*

היד, הידא *Qualis.*

VI.

De Pronomine reciproco.

PRONOMINE reciproco strictè loquendo carent Chaldæi: sed illud Hebræorum more exprimunt per demonstrativum tertiæ personæ. ידוהי *Manus ejus, & manus suas.* מלכיה *Regem ejus, & Regem suum.*



CAPUT QUARTUM.

De Verbo generatim.

SUNT Chaldæis ut & Hebræis verba tranſitiva, intranſitiva, communia, perfecta, defectiva, trium & quatuor litterarum, &c. Utrobique iidem numeri, ſingularis & pluralis. Perſonæ tres, tertia, ſecunda, prima. Genera tria, maſculinum, fœmininum & commune. Eadem etiam tempora, iidemque modi. Præteritum, Participium duplex, activum ſcilicet & paſſivum, Futurum, Imperativus, Infinitivus, Gerundia quatuor.

Conjugationes huc uſque numeratæ ſunt quinque, aut etiam ſex; quas, quia puncta non admittimus, ad tres revocamus, Kal, Hiphil, Hithpael.

In conjugatione *Kal* ſeu ſimplici, verba conſervant ſuam ſimpliciorem ſignificationem. מסר *tradidit.* שמע *audivit.* משח *menſuravit.* סלק *aſcendit.* שתק *tacuit.* כבר *gravis fuit.*

In conjugatione *Hiphil*, quæ à Grammaticis Chaldæis vocatur *Aphel*, ut plurimùm verba eumdem quem apud Hebræos ſignificationis gradum acquirunt.

אשמיע *audire fecit.* אסליק *ascendere fecit, elevavit.* אכביר *aggravavit.*

Dicitur ut plurimùm. Interdùm enim verba in conjugatione *Hiphil* suam simplicem significationem retinent, absque ullius novæ significationis gradûs accessione.

Conjugatio *Hithpael* est propriè passiva, modò respondens conjugationi *Kal*, modò conjugationi *Hiphil.*

Cùm in *Kal* verba sunt transitiva, conjugatio *Hithpael* respondet conjugationi *Kal.* מסר *tradidit.* אתמסר *traditus est.* משח *mensuravit.* אתמשח *mensuratus est.*

Cùm in *Kal* verba sunt intransitiva, conjugatio *Hithpael* respondet conjugationi *Hiphil.* סלק *ascendit.* אסליק *elevavit.* אתסלק *elevatus est.*

Nonnunquàm tamen conjugatio *Hithpael* significationem habet reflexivam ut apud Hebræos. אטמר *abscondere se.* לא ישתבח Jerem. 9. 23. *non sibi placeat.* מתקפנא Jerem. 31. 22. *obfirmans seipsum.*

In Daniele & Esdrâ sæpissimè reperiuntur passiva, quæ cum passivis Hebraïcis *Niphal* & *Hophal* mirè conveniunt: sive quòd dialectus Danielis & Esdræ minùs Chaldaïca sit, & ad Hebraïcam magis vergat; sive quòd Lingua Chaldaïca post Danielem & Esdram à primævâ suâ cum Hebræâ affinitate magis recesserit.



CAPUT QUINTUM.

De Conjugatione Verborum perfectorum.

UT Chaldaïcarum conjugationum cum Hebraïcis concordantia discordantiave faciliùs percipiatur, eodem paradigmate utemur, quo uti sumus in Hebraïcâ Grammaticâ.

I.

Conjugatio activa Kal.

Indicativus.

Præteritum.

Gen. fœm.	Gen. masc.		
מסרת	מסר	3 Perf.	*Tradidit.*
מסרת	מסרתא	2	
	מסרית	1	
	מסרו	3	
מסרתין	מסרתון	2	
	מסרנא	1	

Participium activum.

מסרא	מסר	*Tradens.*
מסרן	מסרין	

Participium passivum dictum *Pehil.*

מסירא	מסיר		*Traditus.*
מסירן	מסירין		

Futurum.

	ימסר	3 Pers.	*Tradet.*
תמסרי	תמסר	2	
	אמסר	1	
ימסרן	ימסרון	3	*Tradent.*
תמסרן	תמסרון	2	
	נמסר	1	

Imperativus.

מסרי	מסר	Sing.	*Trade.*
מסרנא	מסרו	Plur.	

Infinitivus.

ממסר *Tradere.*

Gerundia.

בממסר
כממסר
לממסר
מלממסר

II.

Observationes circa Præteritum.

I. TERTIA persona masculina radicem absque ullius litteræ additione continet semper, exceptò quòd ante ultimam non raró inseritur י, præsertim apud Thargumistas. מסיר pro מסר *tradidit*. עשית Dan. 6. 3. *cogitavit*. נסיב Gen. 2. 22. *accepit*. נציב Gen. 2. 8. *plantavit*. פקיד Gen. 7. 22. *præcepit*. עביד Gen. 7. 14. *fecit*, &c. Inseritur etiam interdùm ו post primam. סובר Deut. 1. 31. *portavit*. Istæ autem insertiones fiunt non tantùm in tertiâ personâ, sed in aliis omnibus, nihilque de sensu immutant. Cæteræ præteriti personæ in omnibus conjugationibus formantur ope crementorum ת, נא, תין, תון, ו, ית, ת, תא.

II. Tertia persona singularis fœminina fit à tertiâ masculinâ, additione litteræ ת. מסר *tradidit ille*, מסרת *tradidit illa*. Interdùm terminatur illa persona in ית. דחלית Gen. 18. 15. *Timuit Sara*. Sæpè loco ת ponitur א. מסרא, & in Daniele & Esdrâ ה, מסרה *tradidit illa*, quod magis ad Hebraïcum vergit.

III. Secunda singularis masculina fit à tertiâ additione syllabæ תא. מסר *tradidit*. מסרתא *tradidisti tu vir* : & in Daniele &

Esdrâ additione syllabæ תָה. חזיתה Dan. 2. 41. *vidisti*. Interdùm pro syllaba תא ponitur tantummodò littera ת. מסרת quod magis Hebraïcum sapit, pro מסרתא. יהבת Dan. 2. 23. *dedisti*. Et id quoties ei junguntur affixa. שלחתני Exod. 5. 22. *misisti me*. הודעתני Dan. 2. 23. *notum fecisti mihi*.

IV. Secunda singularis fœminina fit à tertiâ masculinâ, additione litteræ ת. Hinc à tertiâ fœmininâ, & aliquando à secundâ masculinâ non differt. מסר *tradidit*. מסרת *tradidisti tu fœmina*. Interdùm ea persona desinit in ית. מסרית quod frequens est in verbis לא & לה.

V. Prima singularis fit à tertiâ additione syllabæ ית. מסר *tradidit*. מסרית *tradidi*. Nonnunquàm additione solius litteræ ת: & sic sæpiùs in Daniele & Esdrâ. Occurrit id quater in uno versu Dan. 4. 31. נטלת *levavi*. ברכת *benedixi*. השכחת Dan. 2. 25. *inveni*. קרבת Dan. 7. 16. *accessi*. Contingit id potissimùm cum affixis. שלחתך Exod. 3. 12. *misi te*. Desinit etiam aliquando in תי, præsertim in verbis עו. שויתי *posui*. שאלתי *interrogavi*. בחרתי *elegi*. Interdùm etiam in נא. דכירנא Gen. 9. 15. *recordatus sum*. צבינא Isa. 65. 14. *volui*. Tuncque fortè participium est junctum pronomini אנא *ego*. ידענא *cognoscens ego*. Sed de hac participii constructione ampliùs infrà.

VI. Tertia pluralis, quæ communis est generis, fit à tertiâ singulari additione litteræ ו. מסר *tradidit.* מסרו *tradiderunt.* Assumit sæpenumero post illud ו paragogicum ן, & ex מסרו fit מסרון. Exemplum quadruplex habetur in unico versu Psalmi 77. 17. Sæpè paragogico ן remanente, demitur ו, & ex מסרון fit מסרן קבלן Gen. 4. 10. *clamant.* רען Gen. 37. 13. *pascunt.* צבן Gen. 37. 4. *volebant*, &c. In Daniele ea persona frequentissimè desinit in ין. ואמרין Dan. 2. 7. 3. 9. &c. *& dixerunt.* לא פלחין לא סגדין Dan. 3. 12. *Non colunt, non adorant.*

VII. Quamvis tertia pluralis sit, ut dictum est, communis generis, reperiuntur nihilominùs tertiæ quædam personæ fœmininæ desinentes in א. קריבא בנות צלפחד Num. 27. 1. *Accesserunt filiæ Salphaad.* נפקא Exod. 15. 20. *Egressæ sunt mulieres.* ודחילא חייתא Exod. 1. 21. *Timuerunt obstetrices.*

VIII. Secunda pluralis masculina fit à tertiâ singulari additione syllabæ תון. מסר *tradidit.* מסרתון *tradidistis.* Cum affixis amittit ן, ut & reliquæ omnes desinentes in ן. שלחתוני Gen. 26. 27. *misistis me.* אסקתונא Num. 20. 5. *Ascendere fecistis nos.*

IX. Secunda pluralis fœminina fit ab eâdem personâ additione syllabæ תין. מסר מסרתין. In Daniele & Esdrâ desinit sæpiùs

ea personâ in תון. Nec id in Paraphrasibus rarum est. מה דין עבדתון Exod. 1. 18. *Quare hoc fecistis, ô obstetrices*. Desinit etiam in תן, ut apud Hebræos.

X. Prima pluralis fit à tertiâ singulari additione syllabæ נא; quæ diminutivum est pronominis אנחנא *nos*. מסר, מסרנא *tradidimus*. Interdùm additione syllabæ נן, quæ similiter diminutivum est pronominis אנן *nos*. שמענן Psal. 78. 3. *Audivimus*. Ante affixa deperdit suum א, vel illud mutat in ו vel י. שלחנך Gen. 26. 29. *misimus te*. מחינהי Deut. 3. 3. *percussimus eum*. אשכחנוה Psal. 132. 6. *Invenimus eam*. אשלינך Psal. 44. 18. *Obliti sumus te*.

III.

Observationes circa Participium activum, seu præsens.

I. QUANTUM ad characteres, nihil differt participium præsens à tertiâ personâ masculinâ præteriti. מסר *tradidit*. מסר *tradens*. Interdùm formam Hebraïcam imitatur, inseritque ו post primam. סובר Gen. 13. 6. *sustinens*. Flectitur autem uti & alia omnia, sicut nomina adjectiva, ope crementorum ין, א, ן.

II. Jam sæpiùs dictum est crementum fœmininum א sæpissimè mutari in ה, præsertim in Daniele & Esdrâ.

III. Participium istud junctum pronomini, ut plurimùm tempus præsens designat, exprimendumque est in personâ sui pronominis.

	הוא	*Tradit.*
מסר	את	*Tradis.*
	אנא	*Trado.*

	אינון	*Tradunt.*
מסרין	אתון	*Traditis.*
	אנחנא	*Tradimus.*

Habetur exemplum duplex in uno versu Danielis. 2. 8. מן יציב ידע אנא, די עדנא אנתון זבנין *In veritate cognoscens ego*, id est cognosco, *quòd tempus vos terentes*, id est teritis.

IV. Jungitur etiam sæpissimè verbo substantivo הוה; quo in casu exprimendum est per præteritum.

	הוה	*Tradidit.*
מסר	הויתא	*Tradidisti.*
	הויתי	*Tradidi.*

	הוו	*Tradiderunt.*
מסרין	הויתון	*Tradidistis.*
	הוינא	*Tradidimus.*

V. Jungitur similiter impersonali אית cum prænominibus affixis, & præsens tempus designat. לא איתיכון פלחין Dan. 3.

ỳ. 4. *non estis vos colentes*; non colitis.

IV.

Observationes circa Præteritum passivum seu Præteritum dictum Pehil.

I. CARENT hoc participio verba intransitiva.

II. Formatur à præterito, inserendo י ante ultimam. מסר *tradidit.* מסיר *traditus.* Cùm autem, ut dictum est, illud י sæpè ante ultimam præteriti inseratur, hinc fit ut à præterito non formâ, sed solo sensu plerumque distinguatur.

III. Reperiuntur non pauca participia præterita more Hebræorum formata, id est ו ante ultimam sumentia. ארור *maledictus.* חרוב *vastatus.* חשוך *obtenebratus.* אנוס *oppressus.*

IV. Participium Pehil sæpè pro Benoni. דכיר Gen. 19. 29. *recordatus.* רחים Psal. 97. 10. *amans.*

V.

Observationes circa Futurum.

I. FORMATUR Futurum à tertiâ præteriti, sicut apud Hebræos, ope augmentorum יתאן & crementorum ון, ין, ן: quæ crementa respondent Hebraïcis futuri crementis וינה, ut videre est; ון etenim ponitur pro ו, ין pro י, & ן pro נה.

II. Inseritur nonnunquàm ו ante ultimam futuri, Hebræo more. תרדוף Jos. 1. 3. *calcabis*. מיפק דיפוק Jud. 11. 31. *Egrediens quod egredietur*. Inseritur etiam post primam. אכדין אסובר Deut. 1. 12. *Quomodo sustinebo?*

III. In Paraphrasi proverbiorum tertiæ personæ assumunt sæpè נ more Syrorum, pro augmento י. נשבקון Prov. 3. 3. *deserent*. נשפעון Prov. 3. 10. *redundabunt*. נמלל Prov. 18. 23. *loquetur*. ניוספון Prov. 4. 2. *adjicient*. ננטר Prov. 2. 8. *custodiet*. Scatet hæc Paraphrasis multis aliis Syriasmis. *Chaldæi*, inquit Ludovicus de Dieu Grammat. pag. 184. *promiscuè nunc Iod adhibent more Hebræorum, nunc Nun more Syrorum, in tertiis personis*. Effatum, ut nobis videtur, nimis generale, nec pro regulâ habendum. Si quæ in aliis Libris ejuscemodi exempla occurrant, mallem ea inter Syriasmos, qui in Chaldaïca invaserunt, reponere.

IV. Tertia pluralis fœminina pro augmento י interdùm sumit augmentum ת. תמסר pro ימסר. תקמרן Psal. 65. 13. *accingent*.

V. Secunda fœminina singularis desinit plerumque in י aut ין. תמסרין תמסרי. Nonnunquàm etiam in ן, omisso י. תחן Ezech. 5. 15. pro תהוין *eris*.

VI. Tertia pluralis masculina desinit

interdùm in ין, ut tertia præteriti. יתברין Job. 26. 5. pro יתברון *creabuntur.*

VII. Secunda & tertia pluralis fœmininæ desinunt sæpè in ןן, præsertim in Daniele & Esdrâ. תמסרון ימסרון pro תמסרן ימסרן. Cum affixis eodem modo terminantur ac secunda & tertia masculinæ, id est in ו. תקיימונה Exod. 1. 16. *Vos obstetrices vivificabitis eam.*

VIII. Futurum frequentissimè tenet locum præteriti, cum & absque ו. יבהלו Dan. 5. 6. *conturbaverunt.* ידחל Dan. 4. 2. *terruit.* תדור Dan. 4. 18. *habitabat.* יתזין Dan. 4. 9. *vescebatur.* וישתון Dan. 5. 2. *& bibebant*, &c. Vicissim præteritum non raró vim habet futuri. ואף יהבית מנה לך בר Gen. 17. 16. *Et etiam dabo tibi de eâ filium.*

IX. Post א augmentum futuri non raró inseritur י. איברכינן Gen. 49. 9. *Benedicam eis.* אימנינן Deut. 1. 13. *Constituam eos.*

V. I.

Observationes circa Imperativum.

I. Formatur Imperativus à tertiâ præteriti ope crementorum ו, י, נא.

II. Interdùm pro cremento י in singulari fœmininâ usurpatur א. אסירא pro אסירי Joel. 1. 8. *Cinge tu fœmina.*

III. Pluralis fœminina interdùm ab-

jicit א, & desinit in ן. שמען pro שמענא Gen. 4. 23. *Audite uxores Lamech.*

IV. Interdùm eadem persona abjicit נ, retento א. אציתא pro אציתנא Gen. 4. 23. *Auscultate.* שמעא pro שמענא Jerem. 9. 20. *Audite.*

V. Futurum plerumque gerit vices Imperativi, ut apud Hebræos.

VII.

Observationes circa Infinitivum & Gerundia.

I. FORMATUR Infinitivus à tertiâ præteriti litteram מ ei præfigendo. מסר *tradidit*, ממסר *tradere*. In Daniele, Esdrâ & Paraphrastis plures Infinitivi reperiuntur absque מ. לקטלא Dan. 2. 14. *ad occidendum.* לכפתה Dan. 3. 2. *ad vinciendum.* ואוסיף שלח Gen. 8. 10. *& adjecit mittere.*

II. Sæpè vocalis ו inseritur ante ultimam, ut apud Hebræos. למפרוק Psal. 116. 3. *ad liberandum.* Inseritur etiam post primam. לסוברא Deut. 1. 9. *sustinere.*

III. Adjicitur aliquando א in fine: מפקדא pro מפקד *visitare* : & illud א apud Danielem & Esdram sæpiùs mutatur in ה.

IV. Est & alia Infinitivi forma tam pro verbis perfectis quàm pro defectivis,

in וּת, & per elisionem ו, in ת absque מ in capite. קֳדָם חַבָּלוּת Gen. 13. 10. *Ante disperdere.* לַחֲנֻכַּת Dan. 3. 2. *Ad dedicandum.* לְשֵׁיזָבוּת Dan. 6. 20. *ad liberandum.* בְּכַפָּרוּת Exod. 29. 36. *in expiando.* בְּקַטָּלוּתְהוֹן Isa. 7. 2. *cùm occideret eos.* בְּאוֹרְכוּת Num. 9. 19. *cùm tardaret.*

V. Sunt Chaldæis ut & Hebræis gerundia quatuor, ב כ ל ם. At gerundium ב cæteris rarius est. Gerundium verò ם post se sibi adjungit ל, ne duo ם concurrant. מִלְּמִקְטַל *ab occidendo:* estque sæpiùs negativè sumendum. מִלְּמֶחֱטֵי Ezech. 33. 12. *à non peccando*, id est, ut non peccent. מִלְּמַעְבַּד Levit. 26. 19. *à faciendo*, seu ut non faciat. Dictum est *sæpiùs.* מִלְּמְשׁוּט בְּאַרְעָא Job. 2. 2. *à discurrendo in terram.*

VI. Gerundium ל sæpissimè sensum habet imperativi. לֶהֱוֵא Dan. 2. 20. *sit.* לֶהֱוֵא יְדִיעַ Dan. 3. 18. *Notum sit.* לֶהֱוֵא שְׁמֵהּ דִּי אֱלָהָא מְבָרַךְ Dan. 2. 20. *Sit nomen Domini benedictum.* Non minùs frequenter futuri. לֶהֱוֵא Dan. 2. 28. 29. & 41. *erit.* לָא לְהַשְׁנָיָה Dan. 6. 16. *non mutabitur.*

VII. Infinitivus activus multis in locis significationem habet passivam. סַגִּי חוֹבַי מִלְּמִשְׁבַּק Gen. 4. 13. *Magnum peccatum meum præ remittendo:* id est, majus quàm ut remittatur. וּלְדָנִיֵּאל אֲמַר לְהַנְסָקָא מִן גֻּבָּא Dan. 6. 24. *Et Danielem jussit educi è foveâ.* Idem fieri in Hebraïcis alibi observatum est.

VIII.

De Conjugatione activâ Hiphil.

CONJUGATIO Hiphil quæ à Grammaticis Chaldæis dicitur *Aphel*, eodem modo personas suas format ac conjugatio Kal. Idcircò primam tantùm cujusque temporis ac modi vocem exprimere sufficiet, cùm eâ datâ, facile sit cæteras flectere.

אמסר	Præt.	*Tradere fecit.*
ממסר	Particip.	
ימסר	Futur.	
אמסר	Imper.	
אמסרא	Infin.	

I. Conjugationis hujus characteristica est א, sicut apud Hebræos est ה. In Daniele & Esdrâ reperitur quidem characteristica א, sed sæpiùs characteristica hujus conjugationis est ה. השפל Dan. 4. 34. *humiliavit.* הנפק Esdr. 5. 14. *eduxit.* הנעל Dan. 2. 25. *introduxit.* הצלח Dan. 3. 30, *benefecit*, &c. Idem est observatum à Paraphrastis Jobi & Psalmorum.

II. Assumit interdùm hæc conjugatio vocalem י ante ultimam, ut apud Hebræos. אתקיף *roboravit.* אצניע *reposuit.* השפיל *humiliavit.*

III. Participium post characteristicam

מ sumit nonnunquàm vocalem ה. דתא מהחצפה Dan. 2. 15. & 21. *Lex urgens.* מהשנא Dan. 2. 21. *mutans.* מהקרבין Esd. 6. 10. *offerentes.*

IV. Unum tantùm admittimus participium, licet ab iis qui punctis utuntur admittantur duo. Ratio est quòd duo illa participia nullatenùs differant, sæpeque (quod notandum est) iisdem omninò punctis insigniantur. משיזב Dan. 6. 27. *Liberans.* Num. 21. 35. *liberatus.* Illud ergò participium modò per præsens, aut activum, modò per præteritum aut passivum, prout obvius sensus requirit, est exprimendum.

V. Futurum, quod futuro Kal prorsùs simile est, retinet interdùm characteristicam ה contra regulam memoratam in Grammaticâ Hebraïcâ, quâ dicitur characteristicam futuri excludere characteristicam conjugationis. יהשפל Dan. 7. 24. *humiliabit.* תהשכח Esdr. 4. 15. & 7. 16. *Invenies.* יהשנא Esdr. 6. 11. *mutabit.* נהשכח Dan. 6. 5. *Inveniemus.*

VI. Infinitivus sæpè absque א in capite & in fine. להשכח Eccl. 8. 17. *invenire.*

VII. In Daniele & Esdrâ vocalis ה ut plurimùm ponitur tam in capite, quàm in fine Insinitivorum Hiphil. להשמדה Dan. 7. 26. *ad disperdendum.* להשפלה Dan.

4. 34. *ad humiliandum.* להנכסקה Dan. 6. 25. *ad ascendere faciendum.*

VIII. Definit etiam in ות. ולא יכילת לאטמרותיה Exod. 2. 3. *Et non potuit abscondere eum.* Item & in אה. לאתקנאה Deut. 1. 33. *ad præparandum*, à radice תקן.

IX.

De Conjugatione passivâ Hithpael.

PASSIVA est hæc conjugatio dicta à Grammaticis *Ithpehal*, modò conjugationi *Kal*, modò conjugationi *Hiphil* respondens, prout ex variis locorum circumstantiis non difficile erit dignoscere. Illius syllaba characteristica est את, cujus prior littera א per figurativas participii & futuri excluditur.

אתמסר	Præt.	*Traditus est.*
מתמסר	Particip.	
יתמסר	Futur.	
אתמסר	Imper.	
אתמסרא	Infin.	

Secunda conjugationis hujus characteristica ת præcedit primam radicis litteram, exceptis verbis incipientibus à ז, ס, צ, ש, in quibus primæ radicali postponitur. שכח *invenit.* אשתכח *inventus est.* שבק *dimisit.* אשתבק *dimissus est.* סכר *clausit.* אסתכר Gen. 8. 2. *clausus est.* Hinc ישתנא

Dan. 2. 9. *mutabitur.* ישתמען Dan. 7. 27. *obedient.*

Quæ incipiunt per ז, non tantùm rejiciunt illud ת post primam radicalem, sed & illud mutant in ד. הזדמנתון Dan. 2. 9. *præparastis*, à verbo זמן. A verbo זהר *monuit*, אזדהר *monitus est.* זרז *cinxit.* אזדרז *cinctus est.* זקף *erexit.* אזדקף *erectus est.*

Quæ verò incipiunt à צ, transponunt similiter ת, & illud mutant in ט. צבע *reposuit.* אצטבע *repositus est.* צלב *suspendit.* אצטלב *suspensus est.* Hinc יצטבע Dan. 4. 12. *tingetur.* אצטליבו Esth. 2. 3. *suspensi sunt.*

In verbis ab unâ ex his tribus litteris ת, ט, ד incipientibus, eliditur plerumque characteristica ת. אדברת Gen. 12. 15. pro אתדברת *ducta est.* אדכי Psal. 51. 9. pro אתדכי *mundabor.* אטבעו Exod. 15. 4. pro אתטבעו *submersi sunt.* אטנפו Thren. 4. 14. pro אתטנפו *inquinati sunt.* אתבר Exod. 22. 10. pro אתתבר *confractus.* אתרכו Exod. 12. 39. pro אתתרכו *ejecti sunt.*

Dictum est plerumque: nam non rarò ea verba suum ת retinent. אתדמא Prov. 6. 6. *Similis esto.* אתטלטלו Thren. 4. 14. *translati sunt.*

Occurrit & ista elisio characteristicæ ת in aliis verbis. אכתיב pro אתכתיב *scriptus.* Hinc plurimi volunt Marci 7. 34. scriptum esse אפתח *Eppheta*, pro אתפתח *adaperire.* O auris, esto aperta.

Inſeritur frequenter ׳ inter characteriſticas את , ita ut loco את legatur אית. איתעקרו Dan. 7. 8. *avulſi ſunt.* איתער Gen. 9. 24. *evigilavit.* איתברי גברא Job. 3. 3. *creatus eſt vir.*

In Daniele & Eſdrâ loco characteriſticæ את , reperitur frequentiùs הת. השתכח Dan. 2. 35. Eſd. 6. 2. *inventus eſt.* התגזרת Dan. 2. 34. *exciſus eſt.* להתקטלה Dan. 2. 13. *ad occidendum.* Dictum eſt frequentiùs ; nam interdùm etiam legitur את. אשתנו Dan. 3. 19. *immutatus eſt.* אשתומם Dan. 4. 16. *obſtupefactus eſt.* אתכרית רוחי Dan. 7. 15. *Æger fuit ſpiritus meus.*

Jam dictum eſt , & exemplis illuſtrare non pigebit , apud eoſdem Danielem & Eſdram plurima paſſiva reperiri conjugationibus Hebraïcis Niphal & Hophal prorsùs ſimilia. הוספת Dan. 4. 33. *addita eſt.* הובד Dan. 7. 11. *perditus eſt.* הנחת Dan. 5. 20. *factus eſt deſcendere.* חרובת ארעא Jer. 9. 12. *Deſolata terra.* יסרון Jer. 4. 9. *Accingentur.* יורכון Ezech. 12. 22. *prolongabuntur.* חשוכת עיני Pſal. 6. 8. *obtenebratus eſt oculus meus.*

Nec omittendum frequentiſſimè occurrere apud eoſdem aliam paſſivam conjugationem à participio paſſivo dicto *Pehil* formatam hoc modo.

מסירת	מסיר	*Traditus eſt.*
מסירת	מסירתא	*es.*
	מסירית	*ſum.*
	מסירו	*Traditi ſunt.*
מסירתין	מסירתון	*eſtis.*
	מסירנא	*ſumus.*

Conjugationis hujus characteriſtica eſt י ante ultimam. פתיחו ספרין Dan. 7. 10. *aperti ſunt libri.* מריטו גפה Dan. 7. 4. *evulſæ ſunt alæ ejus.* תקילתא במאזניא Dan. 5. 27. *Appenſus es in ſtaterâ.*

Interdùm deeſt illud י. גבריא אלך כפתו Dan. 3. 21. *Viri illi ligati ſunt.*



CAPUT SEXTUM.

De Verborum imperfectorum Conjugationibus.

I.

De Verbis imperfectis ſeu defectivis generatim.

SUNT Chaldæis ut & Hebræis verborum defectivorum duæ claſſes. Priora unâ tantùm litterâ deficiunt, alia verò duabus, quæ idcircò dupliciter defectiva vocabimus.

Priorum tres ſunt ſpecies. פ , ע , ל.

Sub פ continentur verba פנ , פי & פא.

Sub ע continentur עו , עי , & duplicantia ſecundam.

Sub ל continentur לא , לה , לי , לת & לן.

Dupliciter defectivorum tres ſunt claſſes.

Incipientia ab א , & deſinentia per א aut י.

Incipientia à י , & deſinentia per א aut י.

Incipientia à נ , & deſinentia per א aut י.

De ſingulis pauca dicentur , ſed quæ ſufficient iis qui jam norunt Hebraïcè.

De verbis quatuor aut quinque litterarum , utpotè perfectorum , nihilque difficultatis habentium , nullus erit ſermo.

I I.

De Verbis פנ.

Kal.

נסב	Præt.	*Accepit.*
נסב	Ben.	
נסיב	Pehil.	
יסב	Fut.	
סב	Imp.	
מסב	Inf.	

Sequuntur hæc verba ritum Hebraï-

corum נ & פי, de quibus dictum est,

Primæ prima perit, sed non semper, nec ubique.
In Kal Præteritum gemino cum participante
Integra sunt, reliquis aufertur littera prima.

Aufertur autem ea littera ut plurimùm; at non semper. לנסכה Dan. 2. 46. *ad libandum.* ינתן Dan. 2. 16. *dabit.* די יפל לך למנתן, תנתן Esdr. 7. 20. *Quod ceciderit tibi ad dandum, dabis.* אנטור Psal. 39. 2. *custodiam.* תנדר Eccl. 5. 3. *vovebis*, &c.

Hiphil.

אסב	Præt.
מסב	Ben.
יסיב	Fut.
אסב	Imp.
אסבא	Inf.

Et hîc, ut in Hebraïcis, deficit ubique Hiphil. Interdùm tamen servatur נ. די הנפקו מן היכלא Dan. 5. 3. *quæ eduxerant de templo.* די הנפק Esd. 5. 14. *quæ eduxerat*, תהנפק Job. 15. 13. *proferes.*

Hithpael.

Ut plurimùm perfecta est hæc conjugatio, ut in Hebraïcis. מתנצח Dan. 6. 3. *superans.* יתנסח Esdr. 6. 11. *evellatur.* אתנסב Gen. 3. 23. *sumtus est.*

Interdùm tamen privatur suo נ. היא מתפקא Gen. 38. 25. *Ipsa educebatur.* תתפק

Levit. 6. 22. *adolebitur*, *comburetur*.

אתסב	Præt.
מתסב	Ben.
יתסב	Fut.
אתסב	Imp.
אתסבא	Inf.

III.

De Verbis פי.

HEBRAICORUM ritum sequuntur.

Kal.

ידע	Præt.	*Cognovit.*
ידע	Ben.	
ידיע	Pehil.	
ידע	Fut.	
דע	Imp.	
מדע מידע	Inf.	

Præteritum Benoni & Pehil integra sunt. Reliquis modò aufertur י, ut דע Dan. 6. 15. *scito.* למדע Gen. 31. 22. *ad sciendum.* הב Dan. 5. 17. *da.* תיב Gen. 35. 1. *habita.* למתב Psal. 113. 5. *sedere*, &c. Modò non aufertur, ut למילד Gen. 4. 2. *parere.* למיסוד 2. Paral. 31. 7. *fundare.* ניכול Num. 13. 31. *poterimus.* איניק Job. 3. 12. *sugam*.

Futurum verbi ידע in Daniele præfer-

tim & Esdrâ asciscit נ post augmentum. אנדע Dan. 2. 9. *sciam.* תנדע Dan. 4. 23. *scies.* ינדעון Dan. 4. 14. *scient.*

Inseritur & illud נ in nomine verbali מנדע pro מדע *cognitio.* Hinc Gnostici Mandaïtæ dicti sunt.

Hiphil.

אודע	Præt.	*Notum fecit.*
מודע	Ben.	
יודע	Fut.	
אודע	Imp.	
אודעא	Inf.	

In hac conjugatione verba פי mutant sæpè suum י in ו, quod est ipsi cum Hebraïcis פ י commune. אוליד Gen. 5. 4. *genuit.* אוכח Jer. 8. 19. *increpa.* אותר Exod. 16. 18. *superfuit.* sed non semper. Legitur enim היבל Esdr. 5. 14. *abduxit.* להיבלה Esdr. 7. 15. *ad ferendum.* אילילו Zach. 11. 2. *ululate.*

In Daniele & Esdrâ, ut jam dictum est, loco א hæc conjugatio sumit ה. הודע Dan. 2. 15. pro אודע *notum fecit.*

Caret non rarò infinitivus finali א.

Terminatur etiam infinitivus iste non rarò in ות. להודעות Dan. 2. 26. *ad indicandum.*

Hithpael.

אתודע	Præt.	*Cognitus est.*
מתודע	Particip.	
יתודע	Futur.	
אתודע	Imp.	
אתודעא	Inf.	

Mutatur quidem ut plurimùm י in ו in hac conjugatione. אתוכחת Gen. 20. 16. *reprehensa fuit.* אתותבת Gen. 21. 23. *peregrinatus es.* לאתותבא Gen. 47. 4. *ad peregrinandum.* תתוספי Ruth. 2. 8. *adjunges te.* At non semper. מתיהב Esdr. 4. 20. *datum.* יתילדן Gen. 6. 1. *natæ sunt.* אתיצף Psal. 38. 19. *sollicitus ero.*

I V.

De Verbis פא.

MAGIS defectiva sunt hæc verba apud Chaldæos, quàm apud Hebræos. Apud Hebræos namque vix alibi defectiva sunt, quàm in primâ personâ singularis futuri. אמר *dicam*, pro אאמר, ne duo א concurrant. At apud Chaldæos eodem modo defectiva sunt, ac verba פי & פנ.

Kal.

אבד	Præt.	*Periit.*
אבד	Benoni.	
אביד	Pehil.	
ייבד	Fut.	
אבד	Imp.	
מיבד	Inf.	

Defectiva est tantummodò hæc conjugatio in futuro ac infinitivo, mutaturque sæpissimè א in י. מיבד תיבדון Deut. 4. 26. *pereundo peribitis.* המימר תימר Ezech. 28. 9. *Num dicendo dices?* לא תיכלון Gen. 2. 3. *non comedetis.* איכול Gen. 24. 33. *comedam.* תילף Deut. 14. 23. *disces.*

Cæterùm abest frequenter illud י à futuro & infinitivo. ניכול Gen. 3. 2. *comedemus.* לממר Esdr. 5. 11. *dicendo:* & non rarò futurum & infinitivus ut & cætera tempora regularia sunt. יאמר Dan. 2. 7. *dicet.* נאמר Dan. 2. 36. *dicemus.* למאמר Dan. 2. 9. *ad dicendum.*

Hiphil.

אובד	Præt.	*Perdidit.*
מובד	Ben.	
יובד	Fut.	
אובד	Imp.	
אובדא	Inf.	

In hac conjugatione verba נא imitan-

tur formam verborum פי, suumque א mutant in ו, aut illud deperdunt.

In Daniele & Esdrâ conjugatio Hiphil assumit sæpiùs litteram ה loco א. להובדה Dan. 2. 12. *ad perdendum.*

Ex אמן fit הימין *credidit.*

Hithpael.

Ut plurimùm regularis est hæc conjugatio. אתאבלא יתאכל Levit. 7. 18. *comedendo comedetur.* אתאחד Prov. 6. 2. *captus est.* יתאמר Gen. 10. 9. *dicetur.* ליתוהי מתאכל Exod. 3. 2. *non ille combustus.*

Interdùm defectiva est, vel quia deperdit א. אתמר Job. 34. 31. *dictum est.* יתסי Lev. 13. 18. *sanabitur.* אתשד Num. 35. 33. *effusus est.*

Vel quia א mutatur in ו. אתותיאת Gen. 33. 11. *adducta est.* radix אתא *venire.*

V.

De Verbis עו.

Kal.

קם	Præt.	*Stetit.*
קם	Ben.	
קים	Pehil.	
יקום	Fut.	
קום	Imp.	
מקום	Inf.	

Verba עו in Kal perdunt suum ו in præterito & participiis. וקם Dan. 3. 24. *& surrexit.* רם Dan. 5. 20. *extulit.* שם Dan. 6. 14. *posuit.* בת Dan. 6. 18. *pernoctavit.* תבתון Num. 14. 43. *reversi estis.* חבתון Exod. 32. 30. *peccastis.*

Nonnunquàm mutant suum ו in א. קאם Dan. 2. 31. *stans.* קאמין Dan. 3. 3. *stantes.* קאמיא Dan. 7. 16. idem. טאב Dan. 6. 23. *bonus fuit.* דארי Dan. 4. 32. *habitantes.* זאעין Dan. 5. 19. *trementes.*

Nonnunquàm in י. ומית Gen. 5. 5. *& mortuus est.* מיתו Exod. 4. 19. *mortui sunt.* לקים Esther 9. 21. *ad confirmandum.*

Flexio Benoni multiplex. קאם , קים קאים , קָיִם. De prima flexione קאם jam allata sunt exempla. De cæteris hæc pauca. קימא Dan. 4. 23. *stans.* קאים Gen. 24. 13. *stans.* מאית Gen. 20. 3. *mortuus.* דאיב à דוב Levit. 5. 2. *fluens.* דאיך à דוך Num. 11. 8. *contundens.* דייץ à דוץ Prov. 29. 6. *exultans.* חיים ab חום Jerem. 21. 12. *parcens.* צײמין à צום Isa. 58. 4 *jejunantes.* מייתין à מות Isa. 57. 1. *mortui.* דיירין Gen. 15. 13. à דור *peregrini.* דייר Gen. 23. 4. *advena.* דאין Gen. 15. 14. *judicans.* הדיין דכל ארעא Gen. 18. 25. *An* judicans seu *Judex universæ terræ?*

In futuro, imperativo & infinitivo plerumque servant suum ו. תוב Exod. 4. 19. *revertere.* קומי Dan. 7. 5. *surge.* יקום

Dan. 6. 19. *surget.* למקום Job. 2. 1. *ad surgendum.* תדור Dan. 4. 18. *habitabit.* לדור Ruth. 1. 1. *ad habitandum.* Interdùm non servant. יקמון Dan. 7. 24. *surgent.* ידרון Dan. 4. 12. *habitabunt.* תנד Dan. 4. 14. *vagabitur.* יהך Esd. 5. 5. *proficiscetur.* למהך Esdr. 7. 13. *ad proficiscendum.* למתב Exod. 4. 21. *ad redeundum.*

Infinitivus nonnunquàm inferit י post ם. לא אוסיף למילט Gen. 8. 21. *non adjiciam maledicere.* למיצד Gen. 27. 5. *ad venandum.* למישט Isa. 25. 11. *ad natandum.* במיטל Gen. 11. 2. *in proficiscendo.*

Hiphil.

אקים	Præt.	*Constituit.*
מקים	Ben.	
יקים	Fut.	
אקים	Imp.	
אקמא	Inf.	

In hac conjugatione iod ponitur ubique pro ו, præterquàm in infinitivo.

Hithpael.

אתקם	Præt.	*Constitutus est.*
מתקם	Ben.	
יתקם	Fut.	
אתקם	Imp.	
אתקמא	Inf.	

אתקם Exod. 40. 18. *erectum fuit.* יתשמון

Dan. 2. 5. *ponentur*. אתרמת Gen. 7. 17. *elevata est*.

Interdùm in hac conjugatione verba עו mutant suum ו in י, & quidem duplex. יתזין Dan. 4. 9. *vescetur*. אתצידת Jerem. 50. 24. *venatus sum*. לא יתקיים Gen. 6. 3. *non consistet*, *non permanebit*. אתקיימו Jerem. 27. 17. *persistite*.

VI.

De Verbis עי.

VERBA עי in omnibus similia sunt verbis עו, suumque י aut deperdunt aut mutant in א ubicunque verba עו suum ו aut perdunt aut in א commutant. Eam ob causam nil opus est ullum hujuscemodi verborum exemplum proponere.

VII.

De Verbis עא.

VERBA עו & עי fiunt sæpissimè עא, absque ullâ sensûs immutatione, eam potissimùm ob causam, quam pluries repetere non nocebit Tyronibus, quòd apud Chaldæos frequentissima est, & propè indifferens vocalium א ו י commutatio. Easdem omninò leges sequuntur ac עו.

VIII.

De Duplicantibus ע.

Verba duplicantia secundam, ut דקק, *comminuere*, easdem leges sequuntur ac verba עו, secundamque deperdunt iis in locis in quibus verba עו suum ו deperdunt.

Præter istam duplicantium ע speciem, est & alia quæ à Grammaticis dicitur *Poel* עו, indèque ortum ducit, quòd verba עו sæpissimè ultimam duplicent. Hinc ex רום fit רומם, ex קום fit קומם.

Ea autem verba in hac conjugatione sunt transitiva, habentque passivum Hithpael רום *altus fuit.* רומם *erexit.* אתרומם *erectus est.* קום *stetit.* קומם *confirmavit.* אתקומם *confirmatus est.* אשתומם Dan. 4. 16. *obstupefactus fuit.* מתגוללא Ose. 11. 8. *convoluta est.*

Suntque duæ istæ conjugationes perfectæ, duplicatam illam litteram ubique retinentes.

IX.

De Verbis לנ & לת.

Circa ea nihil occurrit observandum nisi ea נ & ת deperdere plerumque iis in locis in quibus verba Hebraïca לנ & לת easdem litteras deper-

dunt, nimirùm verba לנ ante crementa נא &c. ן; verba verò לת ante crementa ת, תא, תי, תון, תין.

X.

De Verbis לא, לה, *&* לי.

PERMUTANT ea verba ultimam suam litteram absque ullâ sensûs immutatione; ita ut ex לא fiant לה, & לי, & vicissim. גלא, גלה, גלי, *migrare.*

Kal.

Præteritum.

קרת	קרא	3	Perf.	*Vocavit.*
קרית	קריתא	2		
	קריתי	1		
	קריו	3	Perf.	
קריתין	קריתון	2		
	קרינא	1		

Benoni.

קריא	קרי
קרין	קרין

Pehil non differt à Benoni.

Futurum.

תקרי	יקרא	3	Perf. Sing.
תקרין	תקרא	2	
	אקרא	1	

תקרין	יקרון	3 Perf. Plur,
תקרין	תקרון	2
	נקרא	1

Imperativus.

קרי	קרי
קרנא	קרו

Infinitivus.

מקרא

Gerundia.

במקרא
כמקרא
למקרא
מלמקרא

Tertia singularis fœminina præteriti ut plurimùm ultimam radicalem mutat in ת. קרא *vocavit ille*, קרת *vocavit illa:* Sæpè tamen desinit ea persona ut tertia masculina. קרא Gen. 38. 3. *vocavit illa.* Nonnunquàm ante ת inseritur י. אתכרית רוחי Dan. 7. 15. *Æger fuit spiritus meus.* כהית Job. 17. 7. *caligavit.* מסית Psal. 39. 12. *liquefacta est.*

Secunda singularis masculina in יתא desinit etiam simpliciter in ית. Dan. 2. 31. הוית *fuisti.* רבית Dan. 4. 19. *crevisti.* מנית Dan. 3. 12. *præfecisti.*

Prima

Prima singularis præteriti sæpiùs quidem terminatur in יתי. קריתי *vocavi.* בריתי Gen. 6. 7. *creavi.* הויתי Gen. 28. 16. *fui.* Interdùm tamen terminatur etiam in ית. צבית Dan. 7. 19. *volui.* חזית Dan. 4. 2. *vidi.* הוית Dan. 4. 1. *fui.*

Tertia pluralis plerumque desinit in יו. רמיר, קריו. Dan. 3. 21. *projecerunt.* שתיו Dan. 5. 4. *biberunt.* שריו Esdr. 5. 2. *incœperunt.* Interdùm simpliciter in ו. קרו Thren. 1. 3. *clamaverunt.* שנו Dan. 3. 27. *mutata sunt.* Nonnunquàm etiam in יאו. קריאו. בליאו Deut. 29. 5. *veteraverunt.* חדיאו Isa. 64. 4. *gavisi sunt.* צדיאו Joel. 1. 17. *destructa sunt.*

Tertia illa persona cùm fœminini est generis terminatur quandoque in אן. חזאן Deut. 4. 3. *oculi vestri viderunt.* בכיאן Ruth. 1. 9. *fleverunt.* nec non & in אה. הואה Gen. 26. 35. & 42. 36. *fuerunt illæ.* שריאה Gen. 41. 54. *cœperunt illæ.*

Benoni promiscuè terminatur in א, in ה, & in י. קרא & קרי *vocans.* בעה & בעא *rogans.*

Futurum similiter in א, ה & י. יקרא יקרה, יקרי. יקרה Dan. 5. 7. *leget.* ישנא Esd. 4. 22. *multiplicabitur.* יצבי Job. 9. 3. *voluerit.*

Infinitivus verò non tantùm מקרא, quæ forma frequens est in Daniele & Esdrâ, ut videre est Dan. 2. 47. 3. 20. 5. 16.

Esdr. 4. 14. 5. 2. sed etiam מקרי, & קרי, uti frequentiùs legitur apud Thargumistas. Item & קראה. לשואה Jerem. 11. 22. *ad ponendum.* לאסאה Ose. 5. 13. *ad sanandum.* Legitur etiam in יה. למויה Dan. 3. 19. *ad accendendum.* לחחויה Dan. 3. 32. *ad indicandum.* להשניה Dan. 6. 8. & 7. 25. *ad mutandum.* להיתיה Dan. 5. 2. *ad afferendum.*

Hiphil.

אקרי	Præt.
מקרי	Ben.
יקרי	Fut.
אקרי	Imp.
אקראה	Inf.

Jam dictum est in Daniele & Esdrâ ה tenere locum א characteristicæ conjugationis Hiphil. להשניה Dan. 6. 8. *mutare.* להחויה Dan. 2. 10. *indicare.* נהחוה Dan. 2. 7. *indicabimus.* יהשנא Esdr. 6. 11. *mutaverit.* תהחון Dan. 2. 6. *indicabitis.* יהעדון Dan. 7. 26. *transferent.*

Hithpael.

Idem ac Kal & Hiphil, præmisso את.

X I.

Verbum הוה *eſſe.*

Præteritum.

3 Perſ.	הוה	הות
2	הוית	
1	הויתי	
3	הוו	
2	הויתון	הויתין
1	הוינא	

Futurum.

3	יהוי	
2	תהוי	
1	אהוי	
3	יהוון	יהוין
2	תהוון	תהוין
1	נהוי	

Imperativus.

הוי	הויא
הוו	הויאן

Infinitivus.

מהוא מהוי

Gerundia.

בְּמֶהֱוֵי
כמהוי
למהוי
מלמהוי

Tres personæ singulares futuri desinunt non tantùm in וי, sed & in י, & in א. יהי, יהא *erit.* אהי, אהא *ero.* תהוא Dan. 7. 23. *erit illa.*

Infinitivi forma apud Thargumistas למהוי & למהוא: apud Danielem & Esdram להוא absque מ.

Infinitivus sæpè pro imperativo & subjunctivo. להוא Dan. 2. 20. *sit.* להון Dan. 6. 26. *sint.* להון Dan. 2. 43. *erunt.* להון Dan. 6. 2. *essent.* In his locis להון est per contractionem pro להיוהון *ut sint ipsi*; sicut in להוין Dan. 5. 17. est pro להויהן *ut sint ipsæ.*

XII.

De Verbis dupliciter defectivis.

TRES sunt eorum classes.

Incipientium ab א & desinentium in א vel י.

Incipientium ab י & desinentium in א vel י.

Incipientium à נ & desinentium in א vel י.

Quantùm ad ultimam sequuntur leges verborum לא.

Quantùm ad primam leges veborum פא, פי & פג.

XIII.

Verbum אתא *venire.*

Præteritum.

אתיא	אתא	3. p.	*Venit.*
	אתיתא	2	
	אתיתי	1	
	אתו	3	
אתיתין &	אתיתון & אתון	2	
אתין	אתינא	1	

Benoni.

אתיא	אתי
אתן	אתין

Futurum.

	ייתי	3 p.
	תיתי	
	איתי	
ייתין	ייתון	
תיתין	תיתון	
	ניתי	

Imperativus.

אתיא	אתא
אתן	אתו

Infinitivus.

אתא , אתה , אתי , מתא , מיתי

Undè apud Danielem למתא 3. 2. *ad veniendum.* Apud Thargumiſtas autem במיתי. למיתי & למיתא , למאתא Gen. 42. 15. *in veniendo.*

Dan. 3. 26. אתו *venite.* תיו Prov. 9. 5. pro אתיו per aphæreſin א , *venite.* תא ſimiliter Prov. 7. 18. *veni.* ותיא pro ואתיא *& venit illa.*

Conjugatio Hiphil hujus verbi vix differt à conjugatione Kal, niſi quòd plerumque ſumit י poſt א. מן איתיך Jud. 18. 3. *Quis adduxit te?* והבל איתי Gen. 4. 4. *& Abel attulit.* איתיתי Jerem. 49. 10. *adduxi.* איתיתא עלי Gen. 20. 9. *adduxiſti ſuper me.* היתיו מאני Dan. 5. 3. *Adduxerunt vaſa.* להיתיה Dan. 5. 2. *adducere.* לאיתאה Gen. 18. 19. *adducere.* הא אנא מייתי Gen. 6. 17. *ecce ego adducens.* ואנן מיתן 1. Reg. 10. 25. *& ipſi adducebant.* והיתית אבן חדה Dan. 6. 18. *& adductus eſt lapis unus.* גבריא אלך היתיו Dan. 3. 13. *Viri illi adducti ſunt.* Duo ultima loca quaſi ex Hophal.

Ex Hithpael legitur יתיתי Levit. 14. 2.

& יתתי Levit. 3. 2. *adducetur.* & איתותיאת Gen. 33. 11. *oblata.*

XIV.

Verbum אית est.

UTRIUSQUE est numeri & æqualiter *est* & *sunt* significat.

Impersonale est; tamen junctum pronominibus quaslibet personas efficit.

In Daniele pro אית legitur sæpiùs איתי. איתי גבר Dan. 5. 11. *est vir.* איתי גברין Dan. 3. 12. *sunt viri.* איתנא Dan. 3. 19. *sumus nos.* איתיך Dan. 2. 26. *es tu.* איתיכון Dan. 3. 14. *estis vos.* איתוהי Dan. 2. 11. *est ille.*



CAPUT SEPTIMUM.

De Nominibus verbalibus.

ANNOTARE sufficiet ea nomina à radice formari ut apud Hebræos, vel additione alicujus aut plurium ex litteris Heemanticis י ת ו נ מ א ה, vel substractione alicujus litteræ ad radicem pertinentis, vel additione & substractione simul, vel denique litteræ alicujus duplicatione. Quæ omnia cùm satis explicata videantur in Grammaticæ Hebraïcæ Ca-

pite 15. superfluum esset hîc iterùm exponere.

CAPUT OCTAVUM.

De Affixis Verborum.

I.

Affixa Verborum separata.

נִי Me.
נָא nos.
ךְ te.
כוֹן vos masc. gen.
כֵן vos fœm. gen.
יהּ eum.
הּ eam.
נוּן eos & eas.

Loco ךְ *te* interdùm legitur יךְ pro genere fœminino.

Loco יהּ *eum* legitur sæpè הּ, וי, והי, יהי, הו, נה.

Loco הּ *eam* legitur הא, נה.

Loco נון *eos & eas* legitur נן, ן, הון, הן.

II.

Affixa Verbis conjuncta.

SUBIICIENTUR affixa juncta præteritis, deindè futuris. Cum futuris ut plurimùm assumunt Epentheticum נ aut ינ.

מסרני	*Tradidit*	me.
מסרנא		nos.
מסרך		te virum.
מסריך		te fœm.
מסרכון		vos viros.
מסרכן		vos fœm.
מסריה		eum.
מסרה		eam.
מסרנון		eos vel eas.
ימסרינני	*Tradet*	me.
ימסרינא		nos.
ימסרינך		te virum.
ימסריניך		te fœm.
ימסרינכון		vos viros.
ימסרינכן		vos fœm.
ימסריניה		eum.
ימסרינה		eam.
ימסרינון		eos vel eas.

Notandum 1°. affixa cum epenthetico נ & ינ sæpè jungi præteritis. בדרינן Gen. 11. 9. *dispersit eos.* רדפינן Gen. 14. 15. *per-*

secutus est eos. ידעתיניה Gen. 18. 19. *novi eum.* ברכינן Gen. 48. 20. *benedixit eis.* פקדתינך Gen. 3. 11. *præcepi tibi.* תברתינון Exod. 15. 7. *confregisti eos.* אחדתינון Exod. 15. 14. *Terror apprehendit eos.*

Notandum 2°. affixa jungi interdùm futuris absque נ aut ינ epentheticis, sed rariùs. אגלוהי Jerem. 32. 29. *transferam eum.* תנטריך Prov. 6. 24. *custodiet te.* תשבקיה Prov. 4. 6. *dimittes eum.* תשגביך Prov. 4. 26. *exaltabit te.*

III.

Quæ mutatio contingat in verbis propter affixa.

EX dictis in Grammaticâ Hebraïcâ Cap. 16. §. 4. colligi potest quales hîc fiant mutationes. Quædam jam notatæ sunt capite quinto. Duas addere sufficiet.

Prima. Personæ desinentes in ו sæpè illud deperdunt ante affixa, undè fit ut à singularibus nonnisi ipso sensu discernantur. Sed abundè sufficit textûs series. דיהן חלמא לא תהדענני Dan. 2. 9. *Quod si somnium non indicaveritis mihi.* תהודענני pro תהודעונני, uti scribitur versu 5. יהודענני Dan. 4. 3. *indicabunt mihi.* וחזוי ראשי יבהלנני Dan. 4. 2. *& visiones capitis mei terruerunt me.* ורעינהי יבהלנה Dan. 4. 16. *Et cogitationes ejus terrebant*

eum. טלטלנון Jer. 50. 17. *transtulerunt eos.* ידברנה Job. 5. 5. *tollent eum.*

Secunda. Verba לא, לה, לי, ultimam perdunt ut plurimùm. ברה Isa. 45. 18. *creavit eam.* הזוני 2. Sam. 1. 7. *vidit me.* כדחזנן Gen. 32. 2. *Quando vidit eos.* מחנון Jud. 9. 43. *percussit eos* ודברנן Isa. 27. 11. *Et qui creavit eos.* אגלוהי Jerem. 32. 29. *transferam eum.*

CAPUT NONUM.

De Dictione seu de Particulis.

I.

Adverbia.

Adverbia loci.

אי, אן, האן, איכא היכא, היכן	Ubi.
אי, מדין, מן האן מנן	Undenàm?
לאן	Quò?
בא, הכא, הלכא	Hîc; huc.
לכא ולכא	Huc & illuc.
מכא	Hinc.
תמה, תמן	Illic.
לתמן	Eò.

מתמן	Indè.
בגו, בגיו, מגיו, מלגיו	In medio, intrà.
בר, ברא, לברא, כברא מברא, מלברא	Foràs, extrà.
על, עלא, לעלא, לעיל לעילא, מלעיל, מלעילא	Suprà, ſursùm.
לרע, מלרע	Infrà.
לתחתא, מתחתא מתחות	Infrà, deorsùm.
לאחורא	Retrò.
עדין, עד כן	Hactenus, huc uſque.
מכל צד	Undique.
לצית	Versùs.

Temporis:

מתי, אימתי, עד אימתי אימת, לאימת	Quando.
עד אן, עד אימה	Uſquequò.
כען, כדו, כדון, כדין	Nunc.
בכן, בכין, בדין, אדין הידין, באדין	Tunc.
מחר	Cras.
אתמלי	Heri.
מאתמלי	Anteà, nudiustertiùs.
מקדם, כבר	Olim, jampridem.
יומא, יומנא	Hodie.
ימם	Interdiù.
תדירא	Jugiter.
לעלמא, עד עלמא	In æternum.
עד, עדי, עד כה	Uſquedum, donec.

עד לא	Antequàm, nondùm.
תכיף, בתכיף	Mox, citò, festinanter.
אספרנא, אדרזדא	Citò, diligenter.
תוב	Iterùm.
עוד	Ultrà, adhuc.
בין, כן	Intereà.
בתר, באתר, באתרדנא	Posteà.
השתא	Nunc.
מהשתא	Deinceps,
בה שעתא	In ipsâ horâ.

Interrogationis.

ה, אם, אן, אין	Si, num, an?
הלא	An non?
איך, היך, איכדין היכדין	Quomodò?
מה, למה, מדין, מה דין	Cur?

Affirmationis & Negationis.

כן	Ita, sic.
בכן	Utique.
ברם	Certè, Verum, tamen.
בקשטא	In veritate.
מן יציב	De firmo, reverà.
אף, אוף	Etiam.
לא	Non.
אל	Ne.
לית quasi לא אית	Non.

Dubitationis.

דלמא	Ne fortè.
אפשר	Fortè.
מאים	Si fortè.

Qualitatis.

למא ללמא	Vanè, frustrà.
מגן	Gratis.
בחשי	Tacitè, in silentio.

Adverbia qualitatis, ut apud Hebræos, fiunt ex nominibus, præmissâ præpositione ב vel ל. בכופלא *dupliciter*. לרוחצן *confidenter*, &c.

Quantitatis.

לחדא , סגי	Valdè.
יתיר	Magis.
אף כי	Quantò magis, quantò minùs.
זעיר	Parùm.
כזעיר , כלמא	Ferè, fermè.
כחדא	Simul.
לחוד , בלחוד	Seorsìm.
בר מן	Exceptò.
להן	Nisi, exceptò.

Numeri.

תנינות	Secundò.
שלישית	Tertiò.
רביעית	Quartò, & sic deinceps.

Similitudinis.

כ , כך , ככה , כות , היך הכא , הכי , כמו , כמא חיכמא , איך , איכדין כדין , כדנן , כדנה	Sic, ſicut, quemadmodùm.

Gentilitia.

ארמית	Syriacè.
יהודית	Judaïcè, &c.

II.

Præpoſitiones.

EÆDEM ferè quæ apud Hebræos.

ב	In.
ל	Ad.
כ	Secundùm.
מ , מן	A, de, ex.
על , עיל , על גב	Super.
עם	Cum.
בגלל , בגן , בדיל	Propter.
תחות	Pro, ſub, infrà.
חלף	Pro, vice.
עד	Uſque.
בין , ביני	Inter.
סחור , חזור	Circum.
עבר	Cis, trans.
בתר	Poſt.

בר , ברא	Extrà.
כות , כפום , לפום	Secundùm, juxtà.
לות	Ad, versùs, juxtà.
מלות	A, de, ex.
קבל , לקבל	Coram, ex adverso.
קריב , סמיך	Propè, juxtà.
קדם	Ante, coram.
לא , מבלי	Absque.
גב	Apud.
לצית	Versùs.
בר מן , בלחוד אלהין	Præter.

III.

Conjunctiones.

ו	Et.
אף , אוף , גם	Etiam.
או	Aut.
דין	Autem.
אין , אי	Sive.
אלא	Sed, ἀλλά.
ברם , אלהן	Verum, verumtamen.
אם , אן , אין , הן , אלו	Si.
אלולי , פון , אלהן , להן	Nisi.
ארי , ארום	Quia.
כל קבל די , כל קבל דנה	Quandoquidem.
על ד , חלף ד , בדיל ד	Eò quod, propterea quod.

לחן , על כן , בכן	Quocircà , ergò.
בדיל , מטול	Ideò.
אכדין	Quomodo.

IV.

Interjectiones.

בבעו	Obsecro , quæso.
הא , אלו , ארו , חזי ,חזו	En , ecce.
הבו	Agite , eia.
לוי ,לווי,אלוי,הלוי ,הלואי	Utinam.
חס	Absit.
וי , ווי , אוי , אלווי	Væ , heu , eheu.

V.

Quomodo Dictionibus jungantur Affixa.

EXEMPLIS sequentibus patebit.

בי	In me.
בכון	In vobis.
בהון בהן	In eis.
כותך	Sicut tu.
מננא	A nobis.
עמכון	Vobiscum.
בדיליה	Propter eum.
בגללהון	Propter eos.
תחותוהי	Pro eo.
בתרי	Post me.
ביניכון	Inter vos.
בלחודוהי	Solus ille.
קדמוהי	Coram illo.

ליתוהי	Non eſt ille.
ליתנן	Non ipſi.
עלהון	Super eos.
גבנא	Apud nos.

Atque hîc Grammaticæ Chaldaïcæ finem imponere mens erat. Quæ enim addenda forent de litteris ſervilibus additis & omiſſis, de radicis inveſtigatione, ac Syntaxi, peti poſſunt ex Grammaticâ Hebraïcâ, cui Chaldaïca quoad ea omnia ferè ad amuſſim congruit. Verùm ut quæ Tyronibus in explicationis exordiis negotium faceſſere poſſunt difficultates penitiùs leventur, addere viſum eſt breviſſimam exercitationem in Chaldaïca veteris Teſtamenti.



CAPUT DECIMUM.

Exercitatio Grammatica in Chaldaïca Danielis, Eſdræ & Jeremiæ.

In Cap. 2. Danielis.

VERSU 4. וידברו הכשדים למלך ארמית *Et locuti ſunt Chaldæi Regi Linguâ Aramæâ*; Syriacè ſeu Chaldaïcè.

מלכא לעלמין חיי *Rex in æternum vive.*

מלכא vocativus, idem cum nominativo. א finale hîc nullam habet emphasim. עלמין plurale substantivi עלם. חיי imperativus. Regulariter חיה. Sed in verbis לה, י indiscriminatim ponitur pro ה.

נחוא. 1. plur. fut. radix חוה *indicare*. נחוא pro נחוה, uti legitur infra v. 7. Verba enim לא & לה finales suas absque ullâ sensûs immutatione commutant.

V. 5. ענא *Respondit*, pro ענה, ob rationem jam datam. Adeò indifferens ea verba scribi per א aut per ה, ut plurima Biblia optimæ notæ hîc & alibi legant ענא, alia verò non inferioris notæ legant ענה.

ואמר *Et dixit*. ו apud Chaldæos nunquam est conversivum. Reperiuntur quidem futura plurima cum præfixo ו præteritorum significationem habentia, & vice versâ. (Exemplo sit ויבהלנני Dan. 4. 2. *& terruerunt me* (Verùm hæc significationis mutatio non fit ob conjunctionem ו, sed quia apud Chaldæos præteritum sæpissimè pro futuro, & vicissim futurum non minùs sæpè pro præterito usurpatur.

מלתא מני אזדא. Pro מלתא plurima Biblia habent מלתה, quia in hujuscemodi finalibus א pro ה usurpare penè indifferens est. Exemplum aliud habetur versu 11. in voce מלכא, pro qua Menasseh, & Polyglotta Parisina habent מלכה. Sed de

eâ obſervatione jam ſatis. מלתא à radice מלל *loqui.* מלתא *verbum*, *res*, reſpondens Hebræo דבר. Senſus ergò phraſis eſt *ſomnus à me fugit.*

הן לא תהודעונני *Si non indicaveritis mihi.* 2. plur. maſc. fut. cum affixo futurorum; habet enim duplex נ׳ conjugatio Hiphil, in quâ verba פ׳ ſuum י plerumque vertunt in ו. Regulariter hæc conjugatio haberet אודע; ſed in Daniele & Efdrâ more Hebraïco ה tenet locum א.

ופשרה *Et interpretationem ejus.* ה pro יה.

הדמין תתעבדון *Membra efficiemini*, id eſt membratim diſſecabimini. הדם *membrum.* תתעבדון 2. plur. maſc. fut. Hithpael verbi עבד *facere.*

ובתיכון נלי יתשמון *Et domus veſtræ ſterquilinia fient.* נלי alibi, nimirùm Eſdr. 6. 11. נלו, quia י & ו promiſcuè commutantur, per abbreviationem pro נלית & נלות, *turpitudo*, *ſtercus*, *locus ſtercoribus recipiendis.* Fœminina in ית & in ות ſæpè abjiciunt ת. יתשמון 3. plur. maſc. futuri, licet vox בתי *domus* ſit fœminina. Ea autem generis enallàge apud Chaldæos frequentiſſima eſt, uti & apud Hebræos. Juxta regulam Capitis 5. §. 9. legendum eſſet ישתמון, ת poſt ש. At ea regula non ſemper viget.

V. 6. תהחון 2. plur. fut. radix חוה *indi-*

care. Regulariter scribendum foret תהחוון. At duo ו frequentissimè in unum coalescunt. ה insertum post ת augmentum futuri characteristica est conjugationis Hiphil, quæ apud Chaldæos rariùs quàm apud Hebræos supprimitur per characteristicas futuri.

מתנן מתן *donum.* fœm. gen. plur. מתנן. radix נתן *dare.*

ונבזבה. radix בזב vel potiùs בזז *spoliare.* נבזבה *largitio, honorarium, erogatio amplior.*

מן קדמי *De coram me.* Plures præpositiones simul.

V. 7. ענו תנינות ואמרין *Responderunt secundò, & dixerunt.* תנינות adverbium numeri. אמרין 3. plur. præteriti, desinens interdùm in ין.

V. 8. מן יציב *De firmo*, id est *certò.* Sic formantur plurima adverbia: & infrà מן קשט *De vero*, id est, *verè.*

ידע אנא *noscens ego*, id est, *cognosco.* Participium cum pronomine per præsens exprimitur, ut hoc eodem versu. עדנא אנתון זבנין *Tempus vos redimentes, terentes*, id est, *teritis.*

כל קבל די alibi כל קביל די, & כל קבל די דנה *Propterea quod.*

חזיתון. radix חזה *videre.* 2. plur. masc. præteriti.

V. 9. די הן חלמא לא תהודענני *Quod si*

fomnium non indicaveritis mihi. תהודעננני pro תהודעונני, omiſſo ו formativo pluralis, ut & Cap. 4. v. 3. & alibi. Frequens eſt iſta vocalis ו, cùm eſt pluralis characteriſtica, eliſio, tam in præterito quàm in futuro & aliis modis.

חדה היא דתכון *Una hæc ſententia veſtra.* דת *ſententia.*

הזדמנתון Hithpael. הת pro את. ת tranſpoſitum & mutatum in ד. *præparatis vos.*

עד די עדנא ישתנא *Uſquedum tempus immutetur.* Radix שנה vel שנא *mutare.* ת poſt ש juxta regulam Capitis 5. §. 9.

להן *Igitur.*

ואנדע *Et ſciam.* ו nunquàm converſivum. אנדע pro אדע. נ hîc inſeritur & in omnibus aliis perſonis. Idem fit & in pluribus aliis vocibus. אנתא *uxor*, pro אתא. מנדה *tributum*, pro מדה. אנפין *vultus*, pro אפין. הנעל Dan. 2. 25. *introduxit*, pro העל, Hiphil verbi עלל.

V. 10. לא איתי *non eſt.* איתי apud Danielem. Apud Thargumiſtas אית.

מלה כדנה *verbum, rem ejuſcemodi.*

V. 11. די יחונה *Qui indicet eam.* נה affixum futuri.

די מדרהון עם בשרא לא איתוהי *Quorum habitatio eorum cum carne non eſt illa.* Pleonaſmus pronominum apud Chaldæos eſt frequentiſſimus. Duplex in hac phraſi

לא איתוהי די מדרהון *quorum habitatio eorum.* *non est illa*, id est, quorum habitatio cum carne non est. מדרהון. Radix דור *habitare.*

V. 12. אמר להובדה *Dixit ad perdendum* ut perderentur. Infin. Hiphil. ה pro א, tam in principio, quàm in fine.

להובדה לכל. ל cum accusativo.

V. 13. וחכימיא מתקטלין *Et sapientes occidebantur.* Benoni pro imperfecto.

להתקטלה *Ut occiderentur.* התקטלה pro אתקטלא.

V. 14. התיב Hiphil verbi תוב *redire.*

V. 16. להחויה. Infinitivus vim habens futuri.

V. 18. יהובדון. 3. plur. masc. fut. Hiphil. Radix אבד.

V. 20. להוא שמה די אלהא מברך. Infin. pro imper. להוא. *Sit nomen Domini benedictum.*

V. 22. נהורא. alii נהירא. Idem. Radix י. נהר *lux.*

V. 23. לך אלה אבהתי מהודא אנה. *Te, Deus patrum meorum, confitens ego.* אב אבהת אבות. אנא pro אנא.

בעינא. 1. Plur. masc. præteriti. בעא.

V. 24. דניאל על על אריוך. In Bibliis punctatis על על iisdem punctis notantur, quamvis longè diversa significent. *Ascendit ad.*

V. 26. האיתיך כהל *An es tu potens?*

V. 27. רזא די מלכא שאל. Verti posset

רזא די מלכא *secretum Regis.* Sed verbum sequens שאל ostendit vertendum esse secretum quod Rex petit. Ambiguitatem tollit constructio.

V. 28. מה די להוא *Id quod erit.* Infinitivus pro futuro.

V. 29. רעיוניך. Radix רעה.

הודעך *Indicavit*, non *te*, sed *tibi.*

V. 30. על דברת די. *Super verbum quod* id est, ut.

V. 31. קאם. Benoni verbi קום.

וזיוה *Et splendor ejus.* זיו *splendor.*

ורוה דחיל. רוה pro רויה *Aspectus ejus.* Radix ראה, undè רוי *Aspectus.*

V. 32. טב pro טוב. Dan. 6. 23. טאב.

חדוהי *Pectus ejus.* והי ut plurimùm affixum pluralium. Hîc & Cap. 5. 2. jungitur singulari.

V. 34. די לא בידין *Qui non in manibus* id est, absque manibus.

ומחת. Radix מחה vel מחא *percutere.*

והדקת המון. Radix דקק *comminuere.* המון pronomen plur. 3. pers.

V. 37. די אלה יהב לך. Ad verbum *Cui Deus dedit tibi.* Pleonasmus relativi frequens.

V. 38. דארין. Rad. דור.

V. 39. מלכו תליתאה. Ita Arias Montanus & Menasseh. Parisina verò Polyglotta habent מלכו תליתיא.

V. 40. כלא pro כל.

V. 41.

V. 41. חזיתה. V. 43. חזיתא *vidiſti.*

V. 43. להון *Erunt illi*, quaſi לות הון. Infinitivus pro futuro.

V. 45. אתגזרת. Non ſemper in Daniele הת pro את. Idem 7. 15. אתכרית.

מהימן *Fidelis.* Radix אמן.

V. 48. לדניאל רבי *Danielem magnum fecit.* Radix רב. Chaldaïca Syntaxis non ſemper ſequitur naturalem ordinem conſtructionis. Verbum hîc poſtponit ſuo caſui. ל cum accuſativo.

In Cap. 3.

V. 1. רומה אמין שתין *Altitudo ejus cubiti ſexaginta.*

אקימה *Statuit eam.* Verſu ſequenti הקים.

V. 2. למתא לחנכת. Radices אתא & חנך.

V. 4. לכון אמרין, אממיא *Vobis dicitur, ô Populi.* Tertia pluralis imperſonaliter ſumitur.

℣. 5. Pleraque inſtrumentorum muſicorum nomina ex Græco deſumta. Indè ſequitur Græcorum artes ante Danielem in Aſſyriam penetraſſe.

V. 8. אכלו קרציהון. Periphraſis Chaldaïca, *accuſaverunt.*

V. 12. איתי גברין די מנית יתהון *Sunt viri quos conſtituiſti eos.* Pleonaſmus, de quo pluries.

V. 13. אמר לה תיה Hiphil verbi אתא

sensu passivo. *Dixit ut adducerentur.*

גבריא אלך היתיו *Viri illi adducti sunt.* היתיו cum significatione Hophal.

V. 14. לא איתיכון פלחין *Non estis vos adorantes.* Modus frequens & elegans.

V. 16. לא חשחין אנחנא *Non necesse habentes nos.* Rad. חשח.

להתיבותך *Respondere tibi.* Hiphil תוב.

V. 19. אשתנו Rad. שנה *mutare.*

למזא. Rad. אזא.

על די חזה למזיה *Supra quàm conveniebat accendi.* למזיה sicut להחויה & להשניה.

V. 26. עבדוהי די אלהא *Servi ejus Dei.* Redundat *ejus.* Pleonasmus frequentissimus.

In Cap. 4.

V. 2. וידחלנני *Et terruit me.* Enallage frequentissima futuri pro præterito & vice versâ.

והרהרין. Rad. הרהר *cogitare.*

V. 3. להנעלה *Ad ascendere faciendum.* Radix עלל. נ epentheticum, de quo suprà.

V. 4. בדין. Plura exemplaria באדין. Scribitur aut non scribitur א in plerisque vocibus ad libitum.

V. 6. קדישין. Alii קדשין. Adeò indifferens est י poni, vel omitti.

אנס. De radice vocis hujus certatur. Potest esse נוס *fugit.*

V. 9. אנבה *Fructus ejus*. Rad. אבב. נ epentheticum ut suprà.

ידרון. Radix דור.

יתזין. Rad. זון *vesci*.

V. 14. שפל אנשים *Humilem virorum*, id est humillimum, ut in Hebræo. אנשים terminatio Hebraïca.

V. 16. אשתומם *Stupefactus*. Rad. שמם.

ורעיונהי pro ורעיונוהי.

מראי *Domine mi*. Radix מר.

V. 22. יטעמון. עשבא כתורין לך יטעמון In conjugatione Hiphil, ut sensus sit, *Herbam sicut boves te comedere facient.*

V. 23. מן די תנדע די שלטין שמיא *Ex quo cognoveris quod dominantur Cæli*. Cœlorum nomen datum Deo Cœlorum. Pro שליטין scribunt alii שלטן.

V. 24. עויתיך *peccata tua*. Radix עוה.

V. 30. ספת *completus*. Radix סוף.

V. 32. כלה חשבין. Locus Tyronibus arduus. לה pro לא *non*, quod vix aliàs vidisse me memini. כלא sicut non, *quasi nihil reputati.*

וכמצביה *Et secundùm voluntatem suam*. Radix צבה *velle*.

V. 33. הוספת *Addita est*. Radix יסף.

V. 34. מרומם. Benoni Poel עו.

In Cap. 5.

V. 2. אבוהי *Pater ejus*. Tria ista nomina אב *pater*, אח *frater*, חם *socer*, juncta affi-

xis accipiunt plerumque ו epentheticum. אבונא Gen. 31. 14. *pater noster.* אחוכון Deut. 1. 16. *fratres vestri.* חמוהי Exod. 4. 18. *socer ejus.*

וישתון. 3. plur. futuri pro imperfecto, *& biberent.*

V. 6. זיוהי שנוהי *Splendor ejus immutatus est.* Constructio difficilis. שנוהי pro שנה, vel שני, vel etiam שנין, uti legitur infrà v. 9. nisi dicatur pleonasmum esse pronominis והי, & ellipsin præpositionis על, ita ut sensus idem sit ac versu mox sequenti. זיוהי שנין עלוהי *Splendor ejus immutatus est super eum.*

משתרין. Participium Hithpael verbi שרה *solvere.*

דא לדא נקשין *Hoc ad hoc collidebantur.*

V. 7. המונכא. Vox desumta ex Græco *μανιάκης*, *Torquis.*

V. 10. לקבל מלי מלכא *Propter rem quæ acciderat Regi.* מלי pro מלה.

V. 17. מתנתך לך להוין *Munera tua tibi sint.* להוין Infinitivus pro Imperativo. להוין pro להות הין.

V. 20. להזדה. Radix זוד.

V. 23. ולאלהא די נשמתך בידה *Et Deum cujus anima tua in manu ejus.* Pleonasmus pronominis.

V. 28. פריסת ויהיבת *Divisa & tradita.* Pehil.

In Cap. 6.

V. 1. די להון *Ut essent.* Infinitivus cum affixo, quasi די להוה הון.

V. 8. די לא להשניה *Quod non immutabitur, immutetur.*

V. 14. שם בל *Posuit cor.* בל pro לב. Forte error exscriptoris. Tamen באל Arabibus est *Cor.*

ועד מעלי שמשא *Usque ad occasum solis.* מעלי ab עלל.

V. 16. והיתית אבן *Et allatus est lapis.* אתא. אתה. התה. Hophal היתה. In participio fœminino היתיה, היתית *allata.*

V. 18. בת טות *Dormivit incœnatus.* בת. Radix בית.

V. 26. להון זאעין. Infinitivus cum affixo. *Esse eos trementes.* זאעין à זוע.

In Cap. 7.

V. 4. מריטו גפיה *Evulsæ sunt alæ ejus.* מריטו Passivum Pehil, ut & sequens vox נטילת *sublata.*

V. 7. ואמתני *Terribilis.* Radix אים.

משניה. Radix שנה *mutare, diversum esse.*

V. 10. רבו רבון *Myrias Myriadum.*

V. 15. בגו נדנה *In medio vaginæ.*

V. 16. אתכרית רוחי *Æger fuit spiritus meus.* Radix כרה.

V. 19. שניה מן כלהון. *Diversa ab omnibus his.*

V. 20. רב מן חברתה *Majus præ sociis ejus.*

In Caput 4. Esdræ.

V. 7. הנשתון. Vox Persica. נשתן apud Persas *scribere.*

מתרגום. Radix תרגם *Interpretari.*

V. 8. בעל טעם *Dominus consilii, Præfectus à rationibus.*

כנמא *In hunc modum.* Radix ignoratur.

V. 9. ושאר כנותהון *Et reliquum collegii eorum.* כנת à radice Hebraïcâ כנס *congregavit.* Ex כנס fit כנסת *Congregatio, Collegium, Ecclesia.* Hinc apud Rabbinos, בית הכנסת *Synagoga.*

ושאר עבר נהרה *Et reliquum transeuntis*, seu transeuntium, vel potiùs eorum qui transiverunt *flumen*, Transeuphratensium.

וכענות. Vox difficilis. Videntur esse tres voces. ו כ ענות, *& juxta tempus*, id est datum tali tempore. ענות factum ex עת *tempus* per insertionem נ epenthetici, ut in pluribus aliis. Infrà v. 17. pro וכענות legitur וכעת.

V. 11. פרשגן. Idem quod פתשגן.

V. 12. שכללו radix quadrata, ex Hebræo כלל cum prosthetico ש, ut in aliis multis.

יחיטו. Radix חוט.

V. 13. מנדה. Radix מדד *metiri.* Unde מדה & per epenthesin נ מנדה *mensura, tributum.*

בלו. Tributi genus. Radix בלא *veterascere*. Fortè tributum antiquum & consuetum.

הלך. Aliud tributi genus, à radice הלך *ire*; quasi *vectigal*, *reditus*, *proventus*, sicut etiam Gallicè dicimus *les traites*, *les entrées*.

אפתם *Ærarium*. De hujus vocis origine nihil offerunt Lexica præter conjecturas.

V. 14. מלח היכלא מלחנא *Sale Palatii saliti sumus*, id est vivimus stipendiis regiis.

לא אריך לנא *Non convenit nobis*.

V. 15. מדנן *Provinciæ*.

אשתדור *Conspiratio*. Radix שדר.

מן יומת *A diebus*. Terminatio fœminina.

V. 18. קרי *Lectum*. Radix קרא.

V. 22. וזהירין הוו שלו למעבד *Et cauti estote*, id est *cavete errorem facere*.

In Cap. 5.

V. 1. והתנבי *Et prophetavit*. Radix נבא.

V. 3. פחת *Princeps*. Radix פחה.

V. 11. התיבונא *Responderunt nobis*. תוב.

למימר *dicendo* pro למאמר.

V. 15. אחת *Descendere fac*. Hiphil verbi נחת.

V. 17. גנזיא *Gaza*.

תמה *Ibi*, ex שמה.

In Cap. 6.

V. 1. מהחתין *Repositarum.* Radix נחת.

V. 2. באחמתא *In arcâ*, in scrinio, in Achmetâ, in Ecbatanis.

V. 4. נדבכין *Structuræ.*

V. 6. רחיקן. Forma fœminina pro רחיקין.

V. 9. חנטין. Radix חנט. Hebraïcè חטים abjecto נ.

V. 12. די שכן שמה תמה *Cujus habitat nomen ejus ibi.* Pleonasmus frequens.

V. 15. ושציא. Radix שצא *Et perfecta est.*

V. 17. לחטיא. Radix חטא *peccare.*

In Cap. 7.

V. 12. גמיר *Perfectio, pax.*

V. 13. למהך *Ad eundum.* Radix הוך.

V. 14. יעטהי, versu sequenti יעטוהי *Consiliarii ejus.* Radix יעץ.

V. 16. 17. 24. Pronomina Hebraïca הם, כם, לכם pluries repetuntur. Hæc & similia multa probant hanc partem Libri Esdræ non tam Chaldaïcum idioma continere, quàm compositum quoddam ex Chaldaïco & Hebraïco.

V. 25. דאנין *Jus dicentes.*

V. 26. הן *sive.*

Verſus 11. Capitis 10. Jeremiæ.

כדנה תאמרון להום : אלהיא די שמיא ,
וארקא לא עבדו , יאבדו מארעא ומן תחות
שמיא אלה.

Sic dicetis eis. להום, pro להון. *Dii qui* (nam די eo loci non eſt nota genitivi, ſed relativum qui) *cælum & terram non fecerunt, peribunt illi* (אלה. אלה יאבדו nominativus verbi יאבדו licet longè poſiti) *de terrâ & de ſub cælo.*

Finis Grammaticæ Chaldaïcæ.



INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM Grammaticæ Chaldaïcæ.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

De Nomine.

CAPUT TERTIUM.

De Pronomine.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

De Conjugatione Verborum perfectorum.

CAPUT SEXTUM.

De Verborum imperfectorum Conjugationibus.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

De Affixis Verborum.

CAPUT NONUM.

De Dictione seu de Particulis.

CAPUT DECIMUM.

GRAMMATICA SYRIACA

A punctis libera.



PRÆFATIO.

GRAMMATICAM Syriacam à punctis liberam omnibus sacrarum Litterarum studiosis duas potissimùm ob causas acceptam fore confidimus.

Prima est Linguæ Syriacæ præstantia & utilitas : altera summa illius ediscendæ facilitas iis omnibus qui juxta novam Methodum Hebraïcè ac Chaldaïcè jam sciunt.

Primum quod spectat, notum est Deum qui in veteri Testamento per Prophetas Hebraïcè locutus fuerat hominibus, in novo locutum esse Syriacè in Filio. Erat quippe illa Lingua in Judæâ ac Jerosolymis in diebus carnis Christi vernacula : & quamvis Apostoli & Evangelistæ qui Dominum Legem suam idiomate Syriaco annunciantem audiverant, Græcè scripserint (exceptis, ut pluribus placet, Matthæo & Auctore Epistolæ ad Hebræos) fieri non potuit quin scripta sua innumeris loquendi modis Linguæ Syræ peculiaribus referserint, uti referta

esse consentiunt celeberrimi quique novi Testamenti Interpretes. Quæ enim Græcè scripserunt sancti illi viri, ea priùs Syriacè conceperant.

Consentiunt similiter eruditi Syriacam novi Testamenti Versionem alias omnes novi Testamenti Versiones antiquitate superare.

Quæ verò in variis Bibliis Polyglottis edita est Syriaca veteris instrumenti Versio, simplex ideò dicta quòd textum Hebraïcum pressiùs & accuratiùs exprimat, ea si non majoris, certè non minoris est antiquitatis; nec Arabicas solùm, sed & Chaldaïcarum plerasque ut antiquitate, ita & utilitate superat.

Ipsa etiam Syriaca Versio ex Græcâ septuaginta Interpretum Versione facta, & idcircò paraphrasin magis sapiens, nullatenùs est parvi pendenda. Eam enim sancto Ephremo antiquiorem existimant nonnulli, & ex variis illius partibus quas vel edidit, vel penes se habuit doctissimus Masius, rectè infertur, vix ullum superesse adjumentum majus, quo Græca septuaginta Virorum Versio in illam puritatem ac integritatem restitui possit, quam tempore ac curâ Origenis adepta erat.

Nec sacris tantùm Scripturis intelligendis utilis est Linguæ Syriacæ cognitio, sed & aliis quamplurimis orthodoxæ fidei &

traditionis Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ monumentis, tot ſcilicet Liturgiis, tam editis, quàm ineditis, tot Patrum operibus, quæ ad noſtra uſque tempora pervenerunt, & in ditiorum Bibliothecarum forulis aſſervantur.

Hâc de causâ cùm ſperemus Reipublicæ litterariæ non omninò ingratam fore hujuſce Grammaticæ Syriacæ editionem, eò gratiorem futuram putamus quòd Linguæ tam excellentis tamque utilis cognitionem reddat longe quàm antea faciliorem.

Ea porro facilitas tanta eſt, ut vix fidem mereatur. Uno eodemque die Grammatica tota diſci poteſt quantùm neceſſe eſt, ut qui Chaldaïcè ſcit interpretationi die ſequenti det operam. Imò ne uno quidem die indigent qui Chaldaïcè jam ſciunt juxta novam Methodum. Iis enim ſufficit annotaſſe in quibus Grammatica Syriaca diſſentiat à Chaldaïcâ; quæ præterquàm quòd pauciſſima ſunt, & exceptis præteriti terminationibus & augmentis futuri, exigui momenti, nullius propè ſunt difficultatis, ac laboris.

Longe brevior fieri potuiſſet, ea tantummodo delibando in quibus à Chaldaïcâ diſcordat. Satiùs viſum eſt ſingula ſuo quæque loco exponere, quàm ad Grammaticam Chaldaïcam ſingulis paginis idque multoties remittere.

Si alicubi Syriaca, Danielis & Esdræ Chaldaïcis respondentia, characteribus Hebraïcis edita forent, inde interpretationis exordium sumendum censeremus. Hoc enim pacto huic studio non mediocre pararetur incitamentum, ipsis oculis cernentibus alteram Linguam minùs ab alterâ dictare, quàm dialectam Græcam à quâvis aliâ Græcâ dialecto.

Verùm cùm novum duntaxat Testamentum editum habeamus litteris Hebraïcis, ab Evangelio Matthæi existimamus esse inchoandum. Pergendum deinde ad Capita Danielis & Esdræ primùm scripta Chaldaïcè. Dein Genesis, postea vertenda qualiacunque volet studiosus, præsertim Historica.

Cæterùm quamvis maxima sit inter Chaldaïcam Linguam, & Syriacam affinitas, in nullâ Methodo citiùs animadvertitur quàm in novâ. Punctis enim, & ferè solis punctis, utraque differt; quibus sublatis, vix discordare percipitur.

Id certum in novâ Methodo Linguam ipsam disci faciliùs, quàm punctorum munia & variationes in consuetâ.

Nec ægrè ferre debet quisquam puncta Syriaca à nobis negligi, cùm Massorethicis longè recentiora esse nec magis certa consentiant ipsi punctorum Syriacorum patroni, à quibus illud etiam conceditur

pronunciationem hodiernam longe diversam esse à veteri, cujus vestigia non pauca supersunt in textu Græco novi Testamenti.

Teste enim Georgio Michaële Amirâ Edeniensi de Monte Libano, in præludio tertio suæ Grammaticæ Syriacæ Romæ in 4° editæ an. 1596. pagg. 6. & sequentibus, pronunciant Syri Matth. 6. 14. *Momuno.* Textus Græcus, Μαμωνᾶ. 16. 17. *Bariauno.* Græc. Βαριωνᾶ. 27. 6. *Carbono.* Gr. Κορβανᾶν. 27. 33. *Goghulto.* Gr. Γολγοθᾶ. Ibid. 46. *Il Il lmono scevacton.* Gr. Ηλὶ Ηλὶ λαμασαβαχθανὶ. Marc, 3. 17. *Bnai rghesc.* Gr. Βοανεργὲς. Marc. 5. 41. *Tlitho cum.* Gr. Θαλίθα κύμι. Marc. 7. 34. *Ethphathh.* Gr. Ἐφφαθὰ. Marc. 14. 36. *Abo.* Gr. Ἀββὰ. Joan. 1. 42. *Mscibho.* Gr. Μεσσίας. Joan. 1. 43. *Kipho.* Gr. Κηφᾶς. Joan. 5. 2. *Bethhesdo.* Gr. Βηθεσδὰ. Joan. 6. 4. *Peshho.* Gr. Πάσχα. Act. 1, 19. *Hacal dmo.* Gr. Ἀκελδαμὰ. Act. 5. 1. *Sciapira.* Gr. Σαφείρη. Act. 9. 36. *Ttvitho.* Gr. Ταβιθὰ. 1, Cor. 16. 22. *Moranetho.* Gr. Μαράναθα.

Deinde plerique Grammaticarum Syriacarum Editores, Maronitæ præsertim, ut Amira & Gabriel Sionita, de hodierno usu præ cæteris edocti non pronunciant litteras ܘ & ܝ cùm affixorum vice funguntur, aut cùm ad formandas quasdam verborum personas inserviunt. At his in casibus qui

admodum frequentes ſunt, non parum à veteri more videntur diſcedere.

Audiendus eâ de re Henricus Opitius Kilonienſis Profeſſor in *Syriaſmo reſtituto* ſecundæ editionis Lipſiæ editæ anno 1691. pag. 11. *Litteræ* ו *&* י, inquit, *ſerviles & formativæ plurimarum perſonarum in verbis, necnon* י *plurium affixorum formativa, à Neotericis Syris Georgio Amirâ, Gabriele Sionitâ & pleriſque noſtri ſæculi Grammaticis, Ludovico de Dieu, Beveridgio aliiſque non pronunciantur. Exempli gratiâ*, פקדו præceperunt illi, *legunt* Pkad. *Similiter* פקדי præceperunt illæ, *legunt etiam* Pkad. תפקודי præcipiet & præcipies fœm. 3. & 2. *perſ. ſing. futuri fœm. legunt* tephkud. שמי nomen meum, *legunt* Schem. ביתי domus mea, *legunt* Baith. נפשי anima mea, Naphſch. בתולתי puella mea, Bthoult *unicâ ſyllabâ.* מלכי Rex meus, Malk. מלככי Rex tuus, Malkech. מלכוהי Reges ejus, Malkau. פקדני juſſit mihi, *legunt* Pakdan, &c.

Sed antiquis, pergit Opitius, *haſce litteras pronunciatas fuiſſe videtur probari poſſe ex Matth.* 27. 46. *ubi legitur* Ἠλὶ Ἠλὶ λαμασαβαχθανὶ, *& Marc.* 5. 41. *ubi habetur* Ταλιθὰ κοῦμι. *Unde nonnulli doctiſſimi viri ut VVaſerus, Buxtorfius, Hottingerus, Leuſdenius aliique litteras illas ſemper legunt & pronunciant, tum ratione allatâ inducti, tum quia aliàs magna confuſio oritur in pronun-*

ciatione, quandoquidem sic integra affixa absorbentur, & personæ verbales plurimæ à se invicem distingui nequeant, tum quia in Linguâ Chaldaïcâ, quæ tamen ferè eadem est cum Syriacâ, hæ litteræ punctantur & efferuntur, tum denique quia in Syriacâ Versione ipsâ hodienum habetur רבוני *quod Johannes cap. 20. v. 16. itidem expressit* Ραββουνὶ. *At cùm circa genuinam & antiquam Linguarum sive Orientalium sive Occidentalium pronunciandi rationem summa detur difficultas, nec facilè determinari possit quænam sit vera & genuina, nolo hîc quidquam determinare, sed cuivis suo sensu abundare permitto.*

Diversæ Bibliorum Syriacorum editiones, inquit Ægidius Gutbirius Præfatione in Lexicon Syriacum Hamburgi editum in 12. an. 1667. *non unâ semper eâdemque punctandi ratione utuntur. Hinc & Lexica ipsique Grammatici hâc in parte aliquando dissentiunt inter se, prout ex VVidmanstadii, Masii, VVaseri, Trostii, Crinesii, Tremellii, Buxtorfii, Georgii Amiræ, Ludovici de Dieu, Abrahami Ecchellensis aliorumque Grammaticorum institutionibus, & ex Trostiano, Crinesiano, Buxtorfiano, ac novo Anglicano, aliisque Lexicis satis liquet.*

Hæc illi; ex quibus concludent cordati omnes neminem sollicitum esse de-

bere, quòd Syriaca novo prorſus, & omnibus inſueto more pronunciemus, ſtandumque eſſe ſupra laudato Cellarii axiomati: *Linguas Orientales non colloquendi, ſed intelligendi causâ addiſcimus*. Ea proinde methodus melior pronuncianda, quâ faciliùs & certiùs ad earum intelligentiam devenitur.

Id unum meritò quis objiciat, Linguam Syriacam in aliquibus circa Montem Libanum oppidis, his etiam temporibus, eſſe vernaculam; unde conſequi videbitur ſtandum eſſe pronunciationi iis in locis vulgatæ, nec adhuc penitus intermortuæ.

At quamvis probaret argumentum iſtud ab iis Syriaca pronuncianda eſſe & diſcenda vulgato more, qui cum Syris Libani Montis incolis colloqui avent, nullatenus probat Syriaca inutiliter ab iis novo more diſci ac pronunciari, qui id unum curant, ut Syriacè intelligant, ſacraſque Scripturas ac reliqua monumenta Eccleſiaſtica Syriaco ſermone conſignata probè inveſtigent. Viget etiam nunc in Græciâ ſaltem ex parte Lingua Græca. An ideo Græcè diſci non poteſt niſi ab iis qui ritu recentiori Græca pronunciant? Sed de hâc objectione alibi pluſquàm ſatis. Manum ergò ad tabulam.

GRAMMATICA

Tom. II.

Alphabetum Syriacum.

Nomen.	*Figura.* *Fin.*	*Med.*	*Init.*
Aleph.	ܐ ܐ	ܐ	ܐ
Beth.	ܒ ܒ	ܒ	ܒ
Ghimel.	ܓ ܓ	ܓ	ܓ
Daleth.	ܕ ܕ	ܕ	ܕ
He.	ܗ ܗ	ܗ	ܗ
Ouau.	ܘ ܘ	ܘ	ܘ
Zain.	ܙ ܙ	ܙ	ܙ
Heth.	ܚ ܚ	ܚ	ܚ
Teth.	ܛ ܛ	ܛ	ܛ
Iod.	ܝ ܝ	ܝ	ܝ
Chaph.	ܟ ܟ	ܟ	ܟ
Lamed.	ܠ ܠ	ܠ	ܠ
Mem.	ܡ ܡ	ܡ	ܡ
Noun.	ܢ ܢ	ܢ	ܢ
Samech.	ܣ ܣ	ܣ	ܣ
Ain.	ܥ ܥ	ܥ	ܥ
Phe.	ܦ ܦ	ܦ	ܦ
Tſade.	ܨ ܨ	ܨ	ܨ
Kouph.	ܩ ܩ	ܩ	ܩ
Reſſ.	ܪ ܪ	ܪ	ܪ
Sſin.	ܫ ܫ	ܫ	ܫ
Thau.	ܬ ܬ	ܬ	ܬ



GRAMMATICA SYRIACA

A punctis libera.



CAPUT PRIMUM.

De Litteris Syriacis ac Linguæ Syriacæ cum Hebraïcâ & Chaldaïcâ affinitate.



VIGINTI duæ sunt Syris litteræ & eædem quæ Hebræis & Chaldæis.

Characterum forma jamdudum diversa est. Quo sæculo diversa esse cœperit nec liquet, nec nosse interest.

Characteribus tamen Hebraïcis hâc in Grammaticâ & in sequenti utimur, non eâ de causâ quòd Typographis nostris desint characteres Syriaci & Samaritani,

ſed præcipuè quia exiſtimamus faciliùs diſcendam eſſe Linguam Syriacam, ſi illius rudimenta typis Hebraïcis conſignentur. Minùs tunc diſtrahitur diſcentium attentio, promtiùſque diſcernitur quæ ſit illius cum Hebræâ Chaldæâve Linguâ affinitas.

Iſta porrò affinitas tanta eſt tam quoad artem Grammaticam & idiotiſmos, quàm circa ipſa vocabula eorumque originationem, ut qui Hebraïcè & Chaldaïcè norunt, uti noſſe debent qui Syriaca ordine debito & cum fructu volunt diſcere, pauciſſimis edoceri indigeant.

Primò enim quod ſpectat Grammaticam, Syriaca in omnibus ferè cum Chaldaïcâ conſentit, paucìſque paginis comprehendi poſſunt capita in quibus utraque diſcrepat.

Quoad vocabula verò, ea tam apud Syros quàm apud Chaldæos ex Hebræis ut plurimum derivantur, & eodem prorſus modo quo Capite primo Grammaticæ Chaldaïcæ oſtenſum eſt Chaldaïca ab Hebraïcis derivari.

Sunt Syris vocabula ex Græco deſumta longè plura quàm Chaldæis. Ex ſolo Evangelio Matthæi ſequentia decerpſimus.

אונגליון	Εὐαγγέλιον	Evangelium.
קפלאון	κεφάλαιον	Caput.
מגוש	μάγος	Magus.
אכדנא	ἐχίδνα	Vipera.
נמוס	νόμος	Lex.
איכא	εἰκῆ	Temerè.
פרצופא	πρόσωπον	Facies.
אסטרטיותא	στρατίωται	Milites.
אפס	ἄφες	Permitte.
ארכונא	ἄρχων	Princeps.
הגמונא	ἡγεμὼν	Dux.
כותין	χιτὼν	Tunica.
זיזנא	ζιζάνια	Zizania.
גנסא	γένος	Genus.
טטררכא	τετράρχης	Tetrarcha.
פינכא	πίναξ	Diſcus.
קופינין	κόφινοι	Corbes.
אסטדיותא	στάδιον	Stadium.
אספרידין	σπυρίδες	Sportæ.
תרונוס	θρόνος	Thronus.
לסטיא	λῃσταὶ	Fures.
קלידא	κλεὶς, κλειδὸς	Clavis.
אננקא	ἀνάγκη	Neceſſitas.
למפידין	λαμπάδες	Lampades.
אכסניא	ξένος	Hoſpes.
דיתקא	διαθήκη	Teſtamentum.
דיאתיקי	*Idem.*	
סיפא	ξίφος	Gladius.
אספיר	σπεῖρα	Cohors.
טימי	τιμὴ	Pretium.
אגורסה	ἀγρὸς	Ager.

פרגלא	φραγέλλιον	Flagellum.
כלמים	χλαμύς	Chlamys.
בימם	βῆμα	Tribunal.
אספוגא	σπόγγος	Spongia.

Sequentia ex aliis libris ſunt deſumta.

פרזומא	περίζωμα	Cingulum.
בולא	βουλή	Conſilium.
זאטמא	ζήτημα	Quæſtio.
תאטרון	θέατρον	Theatrum.
כילירכא	χιλίαρχος	Chiliarcha.
קיתרא	κιθαρά	Cithara.
קאבותא	κιβωτός	Arca.
מרסופא	μάρσιππος	Marſupium.
אספס	ἀσπίς	Aſpis.
אגונא	ἀγών	Certamen.
אסטקטא	ςακτή	Stacte.
למנא	λιμήν	Portus.
הרומא	ἀρώματα	Aromata.

Sunt etiam multa ex Latino aſcita.

לגיונין	Legiones.
קפסא	Capſa.
סודרא	Sudarium.
פרטורין	Prætorium,
קנטרונא	Centurio.
מילא	Milliarium.
הותא	Hiatus.
קסטונרא	Cuſtodes, & ut Fullero placet, *Quæſtionarii*, vox infimæ Latinitatis.

כלש	Calx.
גזה	Gaza.

Nomina propria ex Hebræo desumta diversos interdum characteres sortiuntur. Exemplo sint hæc pauca ex Matthæo selecta.

אורשלם	Jerusalem.
יסריל	Israel.
ארמיא	Jeremias.
אשעיא	Isaias.
יורדנן	Jordanis.
שלומון	Salomon.
מושא	Moyses.
איסחק	Isaac.
אליא	Elias.
איריחו	Jericho.
צחיון	Sion.
דניאיל	Daniel.
בביל	Babel.
& פסך	Pascha. *Esd.* 6. 19. & 20. &c.





CAPUT SECUNDUM.

De Nomine.

I.

De Nominum Syriacorum Genere.

CIRCA genera conveniunt nomina Syriaca cum Chaldaïcis.

Alia enim ſunt maſculina, alia fœminina, quædam communia.

Dignoſcuntur item genera terminatione, ſignificatione, adjunctis.

Quomodo dignoſcantur ſignificatione & adjunctis patet ex dictis in Grammaticâ tam Hebraïcâ quàm Chaldaïcâ.

Quomodo dignoſcantur terminatione, docebitur articulis ſequentibus.

II.

De Numeris Nominum Syriacorum, & quomodo formentur.

SYRIS numeri duo, ſingularis & pluralis, dualis nullus.

A ſingulari formatur maſculinorum pluralis adjectione ſyllabæ ܝܢ. De ſolâ

formâ absolutâ hîc loquimur. Articulo quarto sequenti sermo erit de formâ emphaticâ & constructâ. אלה *Deus*, אלהין *Dii.* גבר *Vir*, גברין *Viri.*

Quæ in singulari desinunt in א vel י pluralem formant similiter in ין. טלא *Puer*, טלין *Pueri.* משרי *Habitatio*, משרין *Habitationes.* רעי *Pastor*, רעין *Pastores.*

Formatur similiter à singulari pluralis fœmininorum mutando א in ן. בתולא *Virgo*, בתולן *Virgines.* מדינא *Civitas*, מדינן *Civitates.*

Quæ in singulari desinunt in ו vel י, aut à masculinis terminatione non differunt, formantur similiter adjectione litteræ ן. מלכו *Regnum*, מלכון *Regna.* רבי *Usura*, רבין *Usuræ.* נפש *Anima*, נפשן *Animæ.*

III.

De Casibus.

DISCORDANT hîc Syri à Chaldæis in duobus. 1°. Quòd accusativi nota non sit ית sed ל. Licet enim in 1. versu Capitis 1. Geneseos bis reperiatur ית pro accusativi notâ, constat tamen particulam hanc non esse apud Syros notam accusativi. In eo enim solo versu reperitur ית. 2°. Quòd nota ablativi non sit littera מ, quæ abbreviatio est præpoli-

tionis מן , ſed integra præpoſitio מן.

In reliquis utrobique conſenſus eſt omnimodus. Nam nota genitivi eſt די , vel illius diminutivum ד , nota verò dativi eſt ל.

מלך	Rex.
די מלך vel דמלך	Regis.
למלך	Regi.
למלך	Regem.
מלך	O Rex.
מן מלך	A Rege.

I V.

De Nominum Syriacorum ſtatu abſoluto, emphatico & conſtructo.

HIs tribus ſtatibus quid ſit intelligendum dictum eſt in Grammaticâ Chaldaïcâ.

Quatuor regulis comprehendi poteſt quicquid ad ſtatûs emphatici, aut conſtructi formationem pertinet.

I. Formatur ſtatus emphaticus in maſculinis ſingularibus, ſicuti apud Chaldæos, adjiciendo vocalem א formæ abſolutæ. Forma verò conſtructa eadem eſt ac abſoluta.

Forma abſoluta,		emphatica,	conſtructa.
גבר	Vir	גברא	גבר
בסר	Caro	בסרא	בסר

II. In masculinis pluralibus formatur status emphaticus ab absoluto, mutando ין in א, & nonnunquam in יא. Constructus verò formatur ab absoluto abjiciendo ן vel א finale, sed retinendo י.

Forma absoluta, emphatica, constructa.

גברין Viri.	גברא	גברי
מלכין Reges.	מלכא	מלכי
טלין Pueri.	טליא	טלי
משרין Habitationes.	משריא	משרי

Quæ in statu absoluto habent יין, in constructo habent יי. רעיי *Pastores.* נכריי *Alienigenæ*, &c.

III. In fœmininis singularibus forma emphatica fit ab absolutâ mutando א in תא. In iis quæ desinunt in ו vel י, aut quæ masculinorum terminationem imitantur, forma emphatica fit additione syllabæ תא. Si forma absoluta sit תא, eadem est & emphatica. Constructa verò fit ab emphaticâ delendo א finale, proindèque terminatur simpliciter in ת.

Forma absoluta, emphatica, constructa.

חכמא Sapientia.	חכמתא	חכמת
טבא Bona.	טבתא	טבת
מלכו Regnum.	מלכותא	מלכות
תודי Confessio.	תודיתא	תודית
נפש Anima.	נפשתא	נפשת
מלכתא Regina.	מלכתא	מלכת

IV. In fœmininis pluralibus forma emphatica fit ab abſolutâ mutando ן in תא. Conſtructa verò fit ab emphaticâ delendo א finale, terminaturque in ת.

Forma abſoluta, emphatica, conſtructa.

חכמן	Sapientiæ.	חכמתא	חכמת
מלכון	Regna.	מלכותא	מלכות
מדינן	Civitates.	מדינותא	מדינות
נפשן	Animæ.	נפשתא	נפשת
רבין	Uſuræ.	רביתא	רבית

Quatuor iſtas regulas exemplis duobus comprehendimus quò clariores fiant.

Forma abſoluta, emphatica, conſtructa.

Maſc.			
Sing.	גבר Vir.	גברא	גבר
Plur.	גברין	גברא	גברי
Fœm.			
Sing.	בתולא Virgo.	בתולתא	בתולת
Plur.	בתולן	בתולתא	בתולת

Inde autem ſequitur 1°. nominum numeros non poſſe plerumque ſolâ terminatione diſtingui. Patet enim ſingulare ac plurale tam maſculinorum quàm fœmininorum in formâ emphaticâ, quæ omnium uſitatiſſima eſt, ac pro abſolutâ paſſim & ſine ullâ ſenſûs immutatione uſurpatur, eodem modo terminari ut & fœmini-

tum singulare ac plurale in formâ constructâ. Verùm neminem morari debet ista difficultas, cùm usu brevissimè evanescat, sitque facillimum ex adjunctis nominum numeros deprehendere.

Sequitur 2°. Nominum genera non posse similiter solâ terminatione ubique distingui, cùm masculina omnia tam singularia quàm pluralia in formâ emphaticâ, quæ omnium est usitatissima, terminentur in א, uti & fœmininorum pars magna. Medentur huic incommodo adjuncta & usus.

Observandum 1°. fœminini generis esse nomina desinentia in תא, ותא, יתא, item in ת, ות, ית, ו & י, quæ sunt terminationum תא, ותא & יתא abbreviationes.

Excipiuntur nomina in quibus littera ת radicalis est & finalis, ut קשת & קשתא *arcus*. נחת & נחתא *vestimentum*. זית & זיתא *oliva*, &c. Ea enim non minùs possunt esse masculina quàm si alio quovis modo terminarentur.

Observandum 2°. Pluralia desinentia in ין & י, ut plurimùm masculina esse, quæ verò desinunt in ן aut תא, fœminina.

Dictum est ut plurimùm, ob exceptiones seu anomalias plurimas quarum aliquæ articulo sequenti exponentur.

Circa statum constructum nomina Syriaca eosdem ritus sequuntur iisdemque

terminationum mutationibus obnoxia sunt ac Chaldaïca.

V.

Anomaliæ quædam circà nominum genera & numeros.

SYRIACORUM nominum quædam sunt tantummodo singularia, alia tantummodo pluralia. Circa ea nulla occurrit interpretanti difficultas.

Masculina quædam habent in plurali terminationem fœmininam. רעון & רעותא *pastores*, à רעא. כורסון & כורסותא *throni*, à כורסא. חוותא *serpentes*, ab חויא. אתרותא *loca*, ab אתר. אסון & אסותא *medici*, ab אסוא. אריותא *leones*, ab אריא. נהרותא *flumina*, à נהרא. מרותא *domini*, à מריא. לילותא *noctes*, à ליליא, &c.

Viciſſim nonnulla fœminina habent in plurali terminationem maſculinam. מלין *verba*, à מלתא. אמין *cubiti*, ab אמתא. שנין & שניא *anni*, à שנתא. שעין *horæ*, à שעתא, &c. Hinc Luc. 12. 19. לשניא סגיאתא *in annos plurimos*.

Plurima habent in plurali terminationem utramque, maſculinam & fœmininam. יומא *Dies*. Plur. יומי & יומתא. רוחא *Spiritus*. Plur. רוחין, רוחא & רוחתא. נהרא *Fluvius*. Plur. נהרין & נהרותא. לבא *Cor*. Plur. לבא & לבותא. מרא & מריא *Dominus*.

Plur. מריא , מרון & מרותא , &c.

Masculina quædam pluralem formant modo sibi peculiari. אבא *Pater*, אבהין אבהתא & אבהא *Patres*. שם & שמא *Nomen*, שמהין & שמהא *Nomina*. ריחא *Odor*, ריחנא *Odores*. חזוא *Visio*, חזונא *Visiones*. &c.

Similiter & fœminina nonnulla. אמא *Mater*, אמהתא *Matres*. חתא *Soror*, אחותא *Sorores*. אתא *Signum*, אתותא *Signa*. קריתא *Urbs*, קריא *Urbes*. שבתא *Sabbathum*, שבא *Sabbatha*. גבתא *Caseus*, גובנא *Casei*. &c.

V I.

De variis Nominum Syriacorum Speciebus.

SUNT Syris nomina propria, appellativa, substantiva, adjectiva, diminutiva, denominativa, perfecta, defectiva, simplicia, composita, patronymica, numeralia, &c.

Adjectiva ut apud Hebræos & Chaldæos sunt ea quæ de masculino moventur in fœmininum per additionem alicujus litteræ vel syllabæ. Ut plurimùm ex masculino absoluto fit fœmininum adjectione vocalis א vel syllabæ תא. טב *bonus*. טבא & טבתא *bona*.

Comparativum eodem modo exprimunt ac Chaldæi, per præpositionem מן *præ*, *quam* aut solam, aut adjuncto adverbio יתיר *magis*. לא טב אנא מן אבהי .1.

Reg. 19. 4. *Non bonus ego præ patribus meis*, id est non melior patribus meis. קדמיא הו מני Joan. 1. 15. *Primus est præ me:* id est prior me. סגיו יתיר מן Gal. 4. 27. *Multi sunt magis quàm*, id est plures. &c. Sæpè præpositioni מן adjungitur præfixum ד. יתיר מן דלי Math. 10. 37. *plusquàm me.*

Superlativum verò per adverbium טב *bene, valde*, quod interdum geminatur. טב רבם Math. 4. 8. *altissimus.* חדותא רבתא דטב Math. 2. 10. *Gaudium magnum valde.* Quo in loco & aliis multis ד superfluit. ומיא עשנו טב טב Gen. 7. 19. *Et aquæ invaluerunt valde valde.* Aut per præpositionem ב uti apud Hebræos. פוקדנא רב בנמוסא Math. 22. 36. *Præceptum magnum in lege*, id est præceptum legis maximum. Vel etiam per geminationem positivi. ביש בביש Math. 4. 24. *pessimus.*

Habent Syri diminutiva quæ nec apud Hebræos nec apud Chaldæos reperiuntur.

Masculina fiunt per terminationem in ונא vel in וסא. ברא *filius.* ברונא & ברוסא *filiolus.* כלבא *canis.* כלבוסא *catellus.* גברא *vir.* גברונא & גברוסא *vir parvulus, homuncio.* Sunt quædam dupliciter diminutiva, & utramque diminutionis notam habentia. גברוסונא *homunciolus.*

Fœminina fiunt per terminationem ותיתא. ברתא *filia.* ברתונתיתא *filiola.* עינא

oculus. עינוניתא *ocellus.* Sunt & quædam dupliciter diminutiva, ut in maſculinis. ברתונתוניתא *filiola parvula.*

Adjectiva denominativa, qualia ſunt *ſpiritualis, corporalis, cæleſtis*, & ſimilia, Hebræi & Chaldæi exprimunt ut plurimum per ſubſtantiva in genitivo, aut cum aliquâ præpoſitione. שמחת השמים *Gaudium cælorum*, id eſt cœleſte. קול יהוה בהדר *Vox Domini in magnificentiâ*, id eſt magnifica. Non ſunt ignotæ Syris ejuſmodi locutiones; ſed inſuper utuntur adjectivis denominativis: ea autem terminantur in נא, יא, ניא. גושמא *corpus.* גושמנא *corporalis.* רוח *ſpiritus.* רוחנא & רוחניא *ſpiritualis.* שמיא *cælum.* שמינא & שמיניא *cæleſtis.* כינא *natura.* כיניא *naturalis.* Fœminina verò terminantur in יתא. גושמניתא, רוחניתא, שמיניתא, כיניתא &c.

De Nominibus primitivis & derivativis tam perfectis quàm defectivis, eadem quæ de Chaldaïcis dicenda ſunt.

Sunt Syris compoſita nonnulla. אכלקרצא *calumniator, Diabolus.* בעלדבבא *inimicus.* בעלדבבותא *inimicitiæ.* רבביתא *œconomus.* אימידא *impoſitio manûs.* ביתקבורא *ſepulchrum.* בעלדינא *adverſarius.* דרדרין *generatio generationum.* רבכומרא *Princeps Sacerdotum.* קבלטיבותא *gratiarum actio.*

Patronymica eodem ferè modo formantur ac apud Chaldæos. יהודי & in

ſtatu emphatico יהודיא *Judæus.* כלדי *Chaldæus.* &c.

Numeralia à Chaldaïcis vix differunt.

Cardinalia.

Fœminina.	Maſculina.	
חדא	חד	Unus.
תרתין	תרין	Duo.
תלת	תלתא	Tres.
ארבע	ארבעא	Quatuor.
חמש	חמשא	Quinque.
שית	שיתא	Sex.
שבע	שבעא	Septem.
תמנא	תמניא	Octo.
תשע	תשעא	Novem.
עסר	עסרא	Decem.
חדעסרא	חדעסר	Undecim.
תרתעסרא	תרתעסר	Duodecim.
תלתעסרא	תלתעסר	Tredecim.
ארבעסרא	ארבעסר	Quatuordecim.
חמשעסרא	חמשעסר	Quindecim.
שיתעסרא	שיתעסר	Sexdecim.
שבעסרא	שבעסר	Septemdecim.
תמנעסרא	תמנעסר	Octodecim.
תשעסרא	תשעסר	Novemdecim.

Cætera communis ſunt generis.

עסרין	Viginti.
תלתין	Triginta.
ארבעין	Quadraginta.

חמשין	Quinquaginta.
שתין	Sexaginta.
שבעין	Septuaginta.
תמנין	Octoginta.
תשעין	Nonaginta.
מאא	Centum.
מאתין	Ducenta.
תלתמאא	Trecenta.
ארבעמאא	Quadringenta.
אלף , אלפא	Mille.
אלפין , אלפא , אלפיא	Millia.
רבו , רבותא	Myrias.
רבון , רבותא	Myriades.

Inseritur interdum ת inter numeros compositos. ארבתעסר Num. 16. 49. pro ארבעסר. תמנתעסר Luc. 13. 4. pro תמנעסר; & sic de cæteris.

Ordinalia.

Fœminina.	Masculina.
קדמיתא & in forma absoluta & sic de cæt.	קדמיא Primus. קדמי
תניניתא	תנינא Secundus.
& תריניתא	& תרינא
תליתיתא	תליתיא Tertius.
רביעיתא	רביעיא Quartus.
חמישיתא	חמישיא Quintus.
שתיתא	שתיא Sextus.

שתיתיתא &	שתיתיא &	
שביעיתא	שביעיא	Septimus.
תמניתא	תמניא	Octavus.
שמיניתא &	שמיניא &	
תשיעיתא	תשיעיא	Nonus.
עסיריתא	עסיריא	Decimus.

Habent Syri numerum ordinalem ab undecimo ad vigesimum contra Hebræorum morem.

חדעסדיתא	חדעסדיא	Undecimus.
תרעסריתא	תרעסריא	Duodecimus.

Et sic de cæteris.



CAPUT TERTIUM.

De Pronomine.

I.

De Pronomine primitivo.

PRONOMEN primitivum pro tribus personis sic inflectitur.

Prima persona communis generis.

Singularis.

אנא	Ego.
דילי	mei.
לי	tibi.
לי	te.
מני	à te.

Pluralis.

חנן	Nos.
דילן	nostrum.
לן	nobis.
לן	nos.
מנן	à nobis.

Secunda Persona.

Singularis.

Fœminina.	Masculina.	
אנתי	אנת	Tu.
דילכי	דילך	tui.
לכי	לך	tibi.
לכי	לך	te.
מנכי	מנך	à te.

Pluralis.

אנתין	אנתון	Vos
דילכין	דילכון	vestrum.
לכין	לכון	vobis.
לכין	לכון	vos.
מנכין	מנכון	à vobis.

Tertia Perſona.

Singularis.

הי	Illa.	הו	Ille.
דילה		דילה	illius.
לה		לה	illi.
לה	illam.	לה	illum.
מנה	ab illâ.	מנה	ab illo.

Pluralis.

הנין	Illæ.	הנון	Illi.
דילהין	illarum.	דילהון	illorum.
להין		להון	illis.
להין	illas.	להון	illos.
מנהינ		מנהון	ab illis.

Pro הנון & הנין legitur non rarò אנון & אנין.

Pronomina juncta participiis gerunt vices verbi ſubſtantivi, ut videbitur ſuo loco.

Quamvis frequens ſit pronominum pleonaſmus apud Hebræos & Chaldæos, longè frequentior eſt apud Syros, ut videbitur in Syntaxi.

II.

De Pronomine derivativo ſeu poſſeſſivo.

SUNT Syris pronomina poſſeſſiva *meus, tuus, ſuus*, eaque affixa ut apud Hebræos & Chaldæos.

Affixa separata.

י	Meus.
ן	Noſter.
ך	Tuus, ô vir.
כי	Tuus, ô fœm.
כון	Veſter, ô viri.
כין	Veſter, ô fœm.
ה	Ejus.
הון	Eorum.
הין	Earum.

Affixa nomini conjuncta.

מלכי	Rex meus.
מלכן	Rex noſter.
מלכך	Rex tuus, ô vir.
מלככי	Rex tuus, ô fœm.
מלככון	Rex veſter, ô viri.
מלככין	Rex veſter, ô fœm.
מלכה	Rex ejus.
מלכהון	Rex eorum.
מלכהין	Rex earum.
מלכי	Reges mei.
מלכין	Reges noſtri.
מלכיך	Reges tui, ô vir.
מלכיכי	Reges tui, ô fœm.
מלכיכון	Reges veſtri, ô viri.
מלכוהי	Reges veſtri, ô fœm.
מלכיה	Reges ejus.
מלכיהון	Reges eorum.
מלכיחין	Reges earum.

Fœminina eodem modo recipiunt affixa. Illorum pluralia affixis juncta à singularibus nonnisi adjunctis & loci ratione distinguuntur. בתולתי *virgo mea.* בתולתי *virgines meæ.*

Tria masculina אבא *pater*, אחא *frater*, חמא *socer*, junguntur affixis hoc modo.

Cum affixis fœm.	*Cum affixis masc.*	
אבי	אבי	Pater meus.
אבוכי	אבוך	Pater tuus.
אבוה	אבוהי	Pater ejus.
אבון	אבון	Pater noster.
אבוכין	אבוכון	Pater vester.
אבוהין	אבוהון	Pater eorum.
אבהי	אבהי	Patres mei.
אבהיכי	אבהיך	tui.
אבהיה	אבהיוהי	ejus.
אבהין	אבהין	nostri.
אבהיכין	אבהיכון	vestri.
אבהיהין	אבהיהון	eorum.

Pronominum primitivorum genitivus tenet locum pronominis possessivi. דילי *meus.* דילך *tuus.* דילן *noster.* דילכון *vester.* &c.

III.

De Pronomine demonstrativo.

הו , הנו , הנא , הנה	Hic, ille.
הי , הדא , אידא	Hæc, illa.
הויו , הו הו	Illeipse, illemet.
הלין , אילין	Illi.
הלין	Illæ.

Joan. 15. 16. אנא הו *Egomet.* Joan. 14. 21. הו הו *Illemet.* Math. 5. 46. הי הדא *Idipsum.*

IV.

De Pronomine relativo.

PRONOMEN relativum Syrorum est ד, *qui, quæ, quod*, utriusque generis & numeri, respondens Hebræo אשר.

מדם ד	Id quod.
כל מדם	Quicquid.
כל חד	Quilibet.

V.

De Pronomine interrogativo.

INTERROGATIVUM personæ est מן *quis, quæ.* Utriusque est generis ac numeri. Rarò de re interrogat. Id tamen

fit interdum. מן שמך. Luc. 8. 30. *Quod est nomen tuum?*

Interrogativum rei est מא & מנא, & rariùs מן *Quid*. מנא אכלון Math. 6. 25. *Quid manducabitis?*

Hebræo איזה respondent אינא *quisnam*, אידא *quænam*. אילין plurale communis generis, *quinam*, *quænam*.

Ex אינא & הו fit אינו *Quis ille?* Ex מן & הו fit מנו *quis*. מנו דין אנכון Math. 6. 27. *Quis autem ex vobis?* מנו כי Math. 18. 1. *Quisnam?*

Pronomina illa sequente ד non interrogant, sed relativè sumuntur. מן ד *is qui*. מא ד *quæ*. אינא ד *qui*. אידא ד *quæ*.

כמא *Quantus*, *quanta*, *quantum*, cujusvis generis & numeri.

V I.

De Pronomine reciproco.

EXPRIMUNT Syri Hebræorum & Chaldæorum more pronomina reciproca per affixum tertiæ personæ. Gen. 2. 24. *Relinquet homo* לאבוהי ולאמה *patrem suum & matrem suam.* Interdum etiam per genitivum ejusdem pronominis. יתבין על כורסותא דילהון Apoc. 11. 16. *Sedentes super thronos suos.* לדילה אתא, ודילה לא קבלוהי Joan. 1. 11. *Ad suos venit, & sui non receperunt eum.*

Nomina

Nomina substantiva נפשא *anima* & קנומא *substantia* non rarò etiam vim habent pronominis reciproci. לא תאמרון בנפשכון Math. 3. 9. *Nolite dicere intra vos.* חוא נפשך לכהנא Math. 8. 4. *Ostende teipsum Sacerdotibus.* פצא נפשך Math. 27. 40. *Libera temetipsum.* חנק נפשה Math. 27. 5. *Suspendit se.* ושדא נפשה בימא Joan. 21. 7. *Et projecit se in mare.* כל מלכו דתתפלג על נפשה תחרב , ובתא דעל קנומה מתפלג נפל Luc. 11. 17. *Omne regnum quod dividetur contra seipsum vastabitur, & domus quæ contra seipsam divisa est cadet.* Vox autem קנומא non tantùm de re, ut hoc ultimo loco, dicitur, sed etiam de personâ. מצלא הוית דאנא קנומי Rom. 9. 3. *Optans eram ut ego ipse.*



CAPUT QUARTUM.

De Verbo perfecto.

Circa verba omnimoda ferè est Syrorum cum Chaldæis consensio. Sunt enim Syris verba transitiva, intransitiva, communia, perfecta, defectiva, trium, quatuor & quinque litterarum. Utrobique iidem numeri, singularis & pluralis. Personæ tres, genera

tria; eadem tempora, iidemque modi. Præteritum, participium duplex, activum dictum Benoni, & passivum dictum Pehil. Futurum, imperativus, infinitivus. Gerundia non omninò eadem. Conjugationes similiter tres; Kal, Hiphil & Hithpael.

Carent quidem præsenti, imperfecto & plusquàm perfecto ut Hebræi & Chaldæi. Sed illa tempora exprimunt, præsens quidem per Benoni adjuncto pronomine. Imperfectum per idem Benoni adjecto verbo substantivo הוא. Plusquàm perfectum autem per præteritum sequente eodem verbo substantivo. Sed de his specialiùs suo loco.

Quamvis verbum פסר non ejusdem sit significationis apud Syros ac apud Chaldæos, & in Kal significet *opus aggredi*, & in Aphel *contemnere*; eo tamen paradigmatis loco uti pergemus, ut Syrarum Conjugationum cum Chaldaïcis concordia discordiave faciliùs percipiatur.

I.

Conjugatio Kal.

Præteritum.

Gen. fœm.	Gen. masc.		
מסרת	מסר	3	Perf. fing.
מסרתי	מסרת	2	
	מסרת	1	
מסרי	מסרו	3	Perf. plur.
מסרתין	מסרתון	2	
	מסרן	1	

Benoni.

מסרא	מסר
מסרן	מסרין

Pehil.

מסירא	מסיר
מסירן	מסירין

Futurum.

תמסורי	נמסור	3	Perf. fing.
תמסורי	תמסור	2	
	אמסור	1	
נמסורן	נמסורון	3	Perf. plur.
תמסורן	תמסורון	2	
	נמסור	1	

Imperativus.

מסור מסורי
מסורו מסורין

Infinitivus.

ממסר

I I.

Observationes circa Præteritum.

I. PRÆTERITUM ut apud Hebræos sæpè pro præsenti, imperfecto & plusquàm perfecto usurpatur, & cum particulis quibusdam pro optativo & subjunctivo.

II. Tertia singularis fœminina fit à tertiâ masculinâ additione litteræ ת. מסר, מסרת.

III. Secunda singularis masculina fit ab eâdem, additione ejusdem litteræ ת. מסר, מסרת. Fœminina verò additione syllabæ תי. מסרתי.

IV. Prima singularis fit ab eâdem tertiâ, additione solius litteræ ת.

V. Tertia pluralis masculina fit ab eâdem additione vocalis ו. מסר, מסרו. Hîc notandum personas omnes desinentes in ו plerumque assumere ן paragogicum. שמעון *audiverunt.*

VI. Terminatur eadem persona non

rarò in ין, ut in Chaldaïco Danielis & Eſdræ. ואמרין Math. 2. 2. *& dixerunt.*

VII. Tertia pluralis fœminina, quæ apud Hebræos & Chaldæos eadem eſt ac maſculina & terminatur in ו, apud Syros diverſa eſt & terminatur in י. לא נסבי משחא Math. 25. 3. *Virgines fatuæ non ſumſerunt oleum.* Et v. 5. נמי כלהין ודמכי *Dormitaverunt omnes & dormierunt.* Interdum perſonæ huic additur ן paragogicum.

VIII. Secunda pluralis formatur ut apud Chaldæos à tertiâ ſingulari maſculinâ, additione ſyllabæ תון; fœminina verò additione ſyllabæ תין.

IX. Prima pluralis communis eſt, & fit additione litteræ ן, nonnunquam additione ſyllabæ נן. אזלנן וזבנן Luc. 9. 13. *eamus & emamus.*

III.

Obſervationes circa Benoni.

I. BENONI & Pehil eodem modo formantur apud Syros ac apud Chaldæos.

II. Benoni cujuſvis conjugationis ut plurimùm tempus præſens deſignat, maximè cùm ei adjungitur pronomen. Non addito pronomine, notat tertiam perſonam: ſecundam autem & primam, additis iſtarum perſonarum pronominibus.

Sing.

Fœm.		Masc.	
	מסרת		מסר
אנתי	מסרת	אנת	מסר
אנא	מסרת	אנא	מסר
	מסרן		מסרין
אנתין	מסרן	אנתון	מסרין
חנן	מסרן	חנן	מסרין

III. Sæpè participium cum pronomine in unam vocem coalescit. שאלנא Eph. 3. 13. pro שאל אנא *peto.* בענא Rom. 12. 1. pro בעא אנא *peto.* ידעיתון 2. Cor. 3. 3. pro ידעין אנתון *scitis.* מחויתון Dan. 2. 9. pro מחוין אנתון *indicantes estis.* אכליתון Dan. 3. 5. *comederitis.* חיבינן 1. Joan. 4. 11. pro חיבין חנן *debemus.* לא פלחינן , לא סגדינן Dan. 3. 18. *non colimus , non adoramus.* מתאלצינן 2. Cor. 1. 6. *affligimus.* דמתאלציתון 2. Thess. 1. 7. *qui afflicti estis.* &c.

IV. Sæpe etiam imperfectum designat דרמין מצידתא Math. 4. 18. *qui jacientes ,* id est *jaciebant retia* , maximè adjuncto verbo substantivo הוא. רחם הוא לה Gen. 37. 3. *diligebat eum.* מלף הוא Math. 4. 23. *docebat.* מהלך הוא Joan. 10. 23. *ambulabat.* עמדין הוו Math. 3. 6. *baptizabantur.* בעין הוו

Marc. 11. 18. *quærebant.* לנביא אחידין הוו לה Math. 21. 46. *Sicut Prophetam eum habebant.*

V. Frequentissimè ponitur pro futuro. הו מעמד לכון Math. 3. 11. *Ipse baptizabit vos.* Versu sequenti leguntur quatuor participia pro totidem futuris. איכנא מתילד משיחא Math. 2. 4. *Ubi nasceretur Christus.* מתיהב לכון Math. 10. 19. *dabitur vobis.* ואתא לא מתיהבא לה Math. 16. 4. *& signum non dabitur ei.* מתאסיא אנא Math. 9. 21. *sanabor.* מקרבין לכון Math. 10. 18. *adducent vos.*

VI. Sæpissimè item pro infinitivo. שריו מלגין Math. 12. 1. *Cœperunt vellentes*, id est *vellere.* שבוקו רבין Math. 13 3. *Sinite crescentes*, id est *crescere.* שבוקו טליא אתין לותי Marc. 10. 14. *Sinite parvulos venientes*, id est *venire ad me.*

VII. Vice versâ vim participii exprimunt Syri modo sibi peculiari per præteritum aut futurum. Exempli causâ non dicunt *veniens adorabo*, sed *veniam adorabo*, absque copulâ ו. אזל אסגוד Math. 2. 8. *veniens adorabo.* Similiter נפלו סגדו Math. 2. 8. *prociderunt adoraverunt*; id est procidentes adoraverunt, vel prociderunt & adoraverunt. ויתבו גביו Math. 13. 48. *Et sedentes elegerunt.* דמן דלא נפל נסגוד Dan. 3. 6. *Et qui non prociderit adoraverit*; id est qui procidens non adora-

verit, vel non prociderit & adoraverit.

VIII. Non raro participio Benoni Kal præponitur מ. מהלך Joan. 1. 36. *Ambulans.*

IX. Sæpè participiis præfigitur ד, quod eo loci significare satis commodè potest *qui, quæ, quod*; vel etiam particula כד ejusdem propè significationis. *Vidit Levi* דיתב Marc. 2. 14. *sedentem*, qui sedens erat. דמהלך Gen. 3. 8. *ambulans. Et audivi vocem* כד אמר לי Act. 26. 14. *dicentem mihi. Obtulerunt ei paralyticum* כד שקול Marc. 2. 3. *portatum in lecto.*

X. Habent etiam participia vim nominis ut apud Hebræos & Chaldæos.

IV.

Observationes circa Pehil.

I. SENSUM habet ut plurimùm participii præteriti, seu passivi. כתיב *scriptus.* יליף *edoctus*, &c.

II. Notandum tamen latiùs patere hoc participium apud Syros, quàm *Paoul* apud Hebræos. Apud Hebræos enim verba intransitiva carent participio Paoul. Apud Syros autem ferè omnia verba habent suum *Pehil.* Ratio est quòd sæpissimè sumatur activè, idemque significet ac Benoni. דמיך *dormiens.* שתיק *tacens.* סמיך *recumbens.*

III. Pronominibus jungitur ut Benoni. פקיד אנת *Jussus es.* פקיד אנא *Jussus sum.*

IV. Jungitur etiam verbo substantivo כד מכירא הות הוא. Math. 1. 18. *Cùm desponsata esset Maria.*

V. Sæpè Pehil fit nomen. דחיל *Terribilis.* שפיר *Pulcher.* חביבא *Dilectus.*

V.

Observationes circa Futurum.

I. Augmenta futuri non sunt quatuor istæ litteræ נ י ת א, ut apud Hebræos & Chaldæos, sed tantummodò tres istæ נ ת א. Tertia enim persona masculina futuri tam singularis quàm pluralis, & tertia pluralis fœminina, quæ apud Chaldæos habent litteram י pro augmento, apud Syros incipiunt à litterâ נ, & in eo maximè lingua Syriaca differt à Chaldaïcâ. Tremellius quidem in novo Testamento Syriaco & in Grammaticâ Syriacâ ei annexâ tertias illas personas inchoat ubique à litterâ י, sed errat. Eo errore correcto aut animadverso, non minùs utilis est ab eo procurata novi Testamenti Syriaci editio, quàm alia quælibet.

II. Crementa futuri eadem quæ apud Chaldæos, nisi quòd tertia singularis fœminina apud Syros sæpissimè assumat ־

quo caret apud Chaldæos. תעברי Math. 24. 34. *tranſibit :* & adjuncto nonnunquàm ן paragogico, תקבלין Luc. 1. 35. *concipies.*

Dicimus ſæpiſſimè; legitur enim מלכו דתתפלג Math. 12. 25. *Regnum quod dividetur.* חדא תתדבר ,ואחרנא תשתבק Luc. 17. 37. *Una aſſumetur, & alia relinquetur.*

III. Sæpè quidem inſeritur ו ante ultimam, ſed ſæpiùs omittitur. אסגוד Math. 2. 8. *adorabo.* תדחלון Math. 14. 27. *timebitis.*

IV. Tertia ſingularis maſculina & prima pluralis, quantùm ad litteras prorſus ſunt ſimiles; ſed adjunctis & ſenſu facilè diſtinguuntur.

V. Futurum interdum ſignificationem habet præſentis, præſertim in ſententiis generalibus, ubi non tam indicatur quod fuit, aut quod futurum eſt, quàm quod perpetuò eſſe aut fieri debeat. Pſal. 1. 2. *Beatus qui in Lege Domini* נתהגא ad verbum *meditabitur ;* ſenſus eſt *meditatur.*

VI. Quod Latini naturaliter per infinitivum exprimunt, id ſæpiſſimè Syri exprimunt per futurum, cum præfixo ד, quod eò loci ſenſum habet conjunctionis *ut.* דחל דנאזל Math. 2. 22. *Timuit ire*, ad verbum, *ut iret.* מן דצבא דנאתא בתרי Math. 16. 24. *Is qui vult ut veniat*, id eſt *venire poſt me.* ולא צבא דנפרסיה ואתרעי

דמטשאית נשריה Math. 1. 19. ad verbum. *Et non voluit ut traduceret eam, ſed cogitabat ut occultè dimitteret eam*, id eſt *traducere & dimittere.* צבא דנגלא Math. 11. 27. *vult revelare.* שרי דנשדר Marc. 6. 7. *cœpit mittere.* לא משכח דנדע 1. Cor. 2. 14. *non poteſt cognoſcere.*

Iis in locis interdum ſupprimitur ד, unde fit ut locutio magis obſcura ac diſſona videatur. איך דלא אנש נשכח נעבר בהי אורחא Math. 8. 28. ad verbum. *Ita ut nullus poſſet transiret*, id eſt *transire, per illam viam.*

VI.

Obſervationes circa Imperativum.

I. FORMATUR imperativus à tertiâ præteriti ope crementorum ו, י, ין. אמרין Math. 28. 10. *Dicite*, ô mulieres.

II. Inſeritur ſæpè ו ante ultimam, ſed non ſemper. שבוק Math. 5. 24. *Relinque.* סגוד Apoc. 22. 9. *Adora.* דחל Rom. 11. 20. *Time.*

III. Imperativus ſolas ſecundas perſonas habet. Aliæ per futurum exprimuntur: nec rarò etiam ipſæ ſecundæ, ut apud Hebræos & Chaldæos.

VII.

Obſervationes circa Infinitivum.

I. FORMATUR infinitivus in omnibus conjugationibus à tertiâ præteriti ei præfigendo litteram מ, ut apud Chaldæos.

II. Infinitivus Kal nonnunquam terminatur in ו. Infinitivus conjugationum Hiphil & Hithpael terminatur ſemper in ו, & cum affixis in ות. למשקלו Math. 3. 11. *portare.* למכרזו Math. 11. 1. *prædicare.* למנהרו Gen. 1. 17. *illuminare.* למאסיותה Math. 17. 16. *ſanare eum.*

III. Gerundia tantummodo duo, ל & מן. למפקד *ad præcipiendum.* מן דלמפקד *à præcipiendo.* מן דלמעל Heb. 4. 1. *ab ingrediendo.* מן דלמבנא Gen. 11. 8. *ab ædificando.*

IV. Infinitivus apud Syros non habet ſignificationem infinitivi, niſi præpoſito ל. Sine ל nomen eſt aut gerundium in *do.* ממלך מלך אנא לכון 2. Cor. 8. 10. *Conſulendo conſulo vobis.* מפקד פקד Joan. 13. 29. *præcipiendo præcepit.*

V. Gerundia conjugationum activarum interdum ſignificationem habent paſſivam, ut apud Hebræos & Chaldæos. למקרבו לה Dan. 2. 46. *Juſſit ut afferrentur ei.* רבא הי סבלותי מן למשבק Gen. 3. 13.

Major est stultitia mea à remittendo, id est *quàm ut remittatur*.

VIII.

Conjugatio Hiphil *seu* Aphel.

אמסר	Præt.
ממסר	Ben.
נמסר	Fut.
אמסר	Imp.
ממסרו	Inf.

I. Conjugationis hujus characteristica est א, quæ à participio, futuro & infinitivo excluditur per characteristicas seu augmenta horum temporum vel modorum. Manet tamen interdum, sed rarissimè. למאחבו Rom. 13. 8. *diligere*, ab חבב.

II. Infinitivus non desinit in א ut apud Chaldæos, sed in ו.

III. Tribuit interdum verbis hæc conjugatio eumdem significationis gradum quem apud Hebræos & Chaldæos. דכר *meminit.* אדכר *commemoravit.* Non raro tamen ut apud eosdem plurima verba in hâc conjugatione intransitiva manent. מלך *regnavit.* אמלך *idem.*

IX.

Conjugatio passiva Hithpael.

אתמסר	Præt.
מתמסר	Ben.
נתמסר	Fut.
אתמסר	Imp.
מתמסרו	Inf.

I. CONJUGATIO Hithpael non semper tribuit verbis vim passivam. אתניח *quievit.* אסתכל *intellexit.* אתקרב *appropinquavit.* אתרעי *cogitavit.* אתמלך *consultavit.* &c.

II. Interdum tribuit verbis vim reciprocam. לא תתרים Rom. 11. 20. *Ne extollas te.* אצטבית Math. 3. 17. *complacui mihi.* ואתטשית Gen. 3. 10. *& abscondi me.*


III. Characteristicæ participii, futuri & infinitivi excludunt א priorem conjugationis hujus characteristicam.

IV. In verbis incipientibus ab unâ ex his quatuor litteris ז ס ש צ fit eadem mutatio & transpositio quæ apud Chaldæos. אזדהר Luc. 11. 35. *cave.* אסתמך Luc. 14. 10. *recumbe.* אשתכחת Math. 1. 18. *inventa est.* נצטלב Luc. 24. 7. *crucifigatur.*

V. Sæpè in hac conjugatione apponitur duplex ת, & pro את ponitur אתת, etiam in verbis defectivis. אתתזיע Math. 2. 3.

turbatus est. כל ספרא דמתתלמד Math. 13. 52. *Omnis scriba doctus.* עם תמים תתתמם Psal. 18. 26. *Cum simplici simpliciter ages.* Quo in casu nulla fit litterarum transpositio, etiam in verbis incipientibus ab unâ ex istis quatuor litteris ז ס ש צ. מתתשיטא Act. 19. 27. *contemnetur.*

VI. Non eliditur characteristica ת in verbis incipientibus ab unâ ex his tribus litteris ד ט ת, uti eliditur apud Chaldæos. אתדבר Math. 4. 1. *ductus est.* גרמא לא נתתבר בה Joan. 19. 36. *Os non confringetur in eo.* על אילין דמתטמאין הוו Heb. 9. 13. *Super eos qui inquinati sunt.*



CAPUT QUINTUM.

De Verbis imperfectis seu defectivis.

SYRIS totidem sunt verborum defectivorum classes quot Chaldæis, nec plures, nec pauciores, sequunturque ea verba utrobique eosdem ritus. Sufficeret ergo ad Grammaticam Chaldaïcam Tyrones remittere. Verùm ut eis citiùs & faciliùs innotescat in quo utraque Grammatica consentiat discrepetve, singularum classium paradigmata subjicientur.

I.

De Verbis פנ.

Kal.

נסב	Præt.	*Accepit.*
נסב	Ben.	
נסיב	Pehil.	
נסב	Fut.	
סב	Imp.	
מסב	Inf.	

FUTURUM & imperativus fæpè affumunt ו ante ultimam. נפוק Math. 2. 6. *exibit.* פוקו Math. 25. 6. *exite.* חות Marc. 15. 30. *descende.* אחות Gen. 18. 21. *descendam.*

Hiphil.

אסב	Præt.
מסב	Ben.
נסב	Fut.
אסב	Imp.
מסבו	Inf.

Præteritum aliquando perfectorum more conjugatur & retinet נ. ואנהר Act. 16. 9. *& accendit.* אנהרת Luc. 2. 9. *illuxit.* Item & infinitivus. למנהרו Luc. 1. 79. *ad illuminandum.*

Hithpael.

Ut plurimùm flectitur hæc conjugatio more perfectorum. מתנקש 1. Cor. 14. 7. *pulsatum.* אתנצב Luc. 17. 6. *plantatur.*

Non raro assumit duplex ת, tuncque tota defectiva est.

אתתסב	Præt.
מתתסב	Ben.
נתתסב	Fut.
אתתסב	Imp.
מתתסבו	Inf.

I I.

De Verbis פ״י.

Kal.

ילד	Præt.	*Genuit.*
ילד	Ben.	
יליד	Pehil.	
נאלד	Fut.	
ילד	Imp.	
מאלד	Inf.	

PRÆTERITUM Benoni & Pehil analoga sunt & integra.

Futurum ut plurimùm deperdit י, aut illud mutat in א. תרעי Math. 6. 3. *sciat. Non sciat dextera tua.* &c. תרעון Math. 7. 16. *cognoscetis.* תאלדי Math. 1. 21. *pariet.*

נארתון Math. 5. 5. *hæreditabunt*, ab ירת descendente ab Hebræo ירש. לא תאמון Math. 5. 34. *non jurabitis*, ab ימה *jurare*. דנאקדון Math. 13. 30. *ut comburantur*.

Imperativus retinet י, exceptis הב: Math. 22. 44. *sede:* דעו Math. 24. 33. *scitote:* הב Math. 25. 8. *da*.

Infinitivus normam futuri sequitur, deperditque י. למדע Act. 21. 34. *cognoscere*; aut illud mutat in א. למארת 1. Cor. 15. 50. *hæreditare*.

Hiphil.

אולד	Præt.	*Genuit.*
מולד	Ben.	
נולד	Fut.	
אולד	Imp.	
מולדו.	Inf.	

In hac conjugatione י mutatur in ו. ואוסף Luc. 20. 11. *& adjecit.* אוספו Gal. 2. 6. *addiderunt*. sed non semper. אינקו Luc. 23. 29. pro אונקו *lactaverunt*. איללו Jac. 5. 1. *ululate*. נילל Isa. 16. 7. *ululabit*. מיללין Marc. 5. 38. *ululantes*. מינקן Marc. 13. 17. *lactantes*.

Hithpael.

Interdum regularis est hæc conjugatio, minimèque defectiva. אתיהב Math. 28. 18. *data est*. הדא תתידע Act. 4. 10. *hoc notum sit*.

אתילד	Præt.
מתילד	Ben.
נתילד	Fut.
אתילד	Imp.
מתילדו	Inf.

Interdum aſſumit duplex ת & mutat י in ו. נתתוסף Math. 25. 29. *adjicietur.* אתתוסף Gal. 3. 19. *additus eſt.* אתתוספת Dan. 4. 31. *addita eſt.*

III.

De Verbis פ א.

Kal.

אבד	Præt.	*Periit.*
אבד	Ben.	
אביד	Pehil.	
נאבוד	Fut.	
אבוד	Imp.	
מאבד	Inf.	

SÆPE inſeritur ו ante ultimam futuri, ſæpè omittitur. מנא נאכול Math. 6. 11. *Quid manducabimus?* דנאגור פעלא Math. 20. 1. *ut conduceret operarios.* דנאבד Math. 5. 29. *ut pereat.* נאמר Math. 12. 32. *dicet.*

Inſeritur etiam ו nonnunquam ante ultimam præteriti. נאכול Gen. 3. 2. *comedimus.*

Prima perſona ſingularis futuri ut plu-

rimùm duplex א non admittit. אמר Act. 10. 28. pro אאמר *dicam.* איזל Luc. 15. 18. *ibo.* אילף Philip. 2. 19. *discam.*

Solum verbum איזל primam amittit in imperativo. זלו Math. 5. 32. *ite.* זלי Math. 8. 13. *vade*, ô mulier. זלין Math. 28. 10. *Abite*, ô mulieres.

Hiphil.

אובד	Præt.
מובד	Ben.
נובד	Fut.
אובד	Imp.
מובדו	Inf.

Radicalis א mutatur in ו. אובד Math. 22. 7. *perdidit.* אוחר Math. 25. 5. *tardavit.* למובדו Luc. 9. 56. *ad perdendum.* אוכליהי Rom. 12. 20. *ciba eum.* נובד Marc. 12. 9. *perdet.*

Notandum ex אמן fieri הימין *credidit.* הימנתון Joan. 5. 46. *credidistis.* מהימנין Math. 9. 28. *credentes.* למהימנו Luc. 24. 25. *ad credendum.* הימן Marc. 5. 36. *crede.* נהימין Marc. 11. 23. *credet.* אתהימנת Gal. 2. 7. *concredita* (Evangelii prædicatio.)

Hithpael.

Sæpè regularis est hæc conjugatio. אתאמר Act. 10. 22. *dictum est.* דמתאמר Joan. 21. 2. *qui dicitur.* אתאמנו Col. 4. 2. *perse-*

verate. אתאלץ 2. Cor. 10. 2. *cogar.*

Interdum assumit duplex ת, & deperdit א. אתתחד Math. 25. 10. *clausus est*, ex אחד. אתתגר Math. 25. 16. *lucratus est*, ex אגר. אתתנח Marc. 7. 34. *ingemuit*, ex אנח.

Addunt quidam Grammatici hoc in casu א mutari in ו. Sed Ludovicus de Dieu Grammaticæ suæ pag. 276. ait exempla à se nulla esse reperta.

IV.

De Verbis עו, עי, & עא.

VERBA עי & עא in omnibus similia sunt verbis עו. Unum proinde paradigma pro omnibus proponere sufficiet.

Kal.

קם	Præt.	*Stetit.*
קאם	Ben.	
קים	Pehil.	
נקום	Fut.	
קום	Imp.	
מקם	Inf.	

Remanet interdum ubique littera ו, sicque perfecta est hæc conjugatio.

Non rarò ו mutatur in י. Ex רום fit רים *exaltavit.* Ex מות fit מית *mortuus est.*

In Benoni ו mutatur in א in masculino

ſingulari. In aliis Benoni vocibus mutatur in י.

Fœm.	Maſc.	
קימא	קאם	Sing.
קימן	קימין	Plur.

צאם Math. 6. 17. *jejunans.* צימין Math. 6. 16. *jejunantes.* חאס אנא 1. Cor. 7. 28. *parcens ego.* חיסין Col. 2. 23. *parcentes.* קימין הוו Dan. 3. 3. *ſtabant.*

Remanet ו in imperativo. קום Math. 2. 13. *ſurge.* חור בן Act. 3. 4. *reſpice in nos.* תובו Math. 3. 2. *revertimini.* Excipitur סים Joan. 18. 11. *pone*, à שום.

Remanet etiam ו in futuro. נשוט Math. 6. 24. *contemnet.* אן לא תתובון Luc. 13. 5. *Niſi converſi fueritis.* תסופון Gal. 5. 15. *conſumemini.*

Hiphil.

אקים	Præt.
מקים	Ben.
נקים	Fut.
אקים	Imp.
מקמו	Inf.

אקימו Act. 1. 23. *Statuerunt.* מקים Rom. 3. 5. *confirmans.* למקמו Math. 3. 9. *ſuſcitare.*

Hithpael.

אתתקים	Præt.
מתתקים	Ben.
נתתקים	Fut.
אתתקים	Imp.
מתתקמו	Inf.

אתתסים Luc. 23. 53. *positus.* אתתעיקתון 2. Cor. 7. 1. *contristati estis.* מתתרים 1. Tim. 6. 4. *elatus.* מתתשיטא Act. 19. 27. *contemnetur.* למתתדנו Act. 25. 10. *judicare.*

Non semper assumit hæc conjugatio duplex ת. תתדיש Math. 5. 13. *conculcabitur.* אתניח Rom. 15. 32. *refocillabor* , quamvis Gen. 2. 2. legatur אתתניח *requievit.*

Circa verba עא notandum ea interdum retinere א, מבאש *lædens* , modò illud transferre ante primam radicalem. נאבש Psal. 36. 5. *nocebit.* נאטב לה Psal. 41. 2. *beatificabit illum.* אתאבש להון Math. 21. 15. *displicuit eis.*

V.

De Verbis duplicantibus ע.

Kal.

דק	Præt.	*Comminuit.*
דאק	Ben.	
דקיק	Pehil.	
נדוק	Fut.	

דוק Imp.
מדק Inf.

Exemplis singula illustrari Tyrones non pigebit.

רק Joan. 9. 6. *conspuit.* עלת Luc. 7. 44. *intravi.* נדחתון Gal. 4. 14. *rejecistis.* Probant ejuscemodi exempla tertiam in duplicantibus ע plerumque deperdi. Verùm non semper id contingit; legitur enim דקקו Dan. 6. 14. *comminuerunt.*

ראג Gal. 5. 17. *concupiscens*, à רגג. ראת Act. 16. 29. *tremens*, à רתת. חאן Rom. 9. 15. *miserens*, ab חנן. שאב Act. 10. 11. *descendens*, à שבב.

Notandum א inseri in masculino singulari duntaxat hujus participii, non autem in aliis hujus participii vocibus. Hinc רגא Jac. 4. 5. *concupiscens* fœm. & רגין 1. Cor. 10. 5. *concupiscentes.*

Excipitur Benoni verbi עלל, à quo illud א ubique admittitur. עאל Joan. 10. 1. *intrans.* עאלין Math. 10. 12. *intrantes viri.* עאלא Joan. 17. 41. *intrans mulier.* עאלן Math. 12. 4. *intrantes mulieres.* Legitur etiam Heb. 11. 16. ראגין *concupiscentes.*

רתית Act. 7. 32. *territus.* רתיתא Marc. 5. 33. *territa.* נדיד Eph. 5. 12. *ejectus.*

In futuro interdum retinetur ו, interdum omittitur. נעול Rom. 11. 25. *ingredietur.*

dietur. לי תכוף Rom. 14. 11. *mihi curvabitur*, à כפף. נגן Luc. 1. 35. *obumbrabit*, à גנן. לא תרג Rom. 7. 7. *non concupisces*, à רגג.

Similiter in imperativo. כוס Act. 10. 13. *macta*, à כסס. גושו Luc. 24. 39. *contrectate*, à גשש. טנו 1. Cor. 4. 1. *æmulamini*, à טנן.

למעל Math. 23. 14. *intrare*, ab עלל.

Hiphil.

אדק	Præt.
מדק	Ben.
נדק	Fut.
אדק	Imp.
מדקו	Inf.

Remanet interdum conjugationis hujus characteristica in futuro & infinitivo, contra regulam quæ ait characteristicam conjugationis excludi per characteristicas temporis aut modi. נארב Gen. 48. 19. *major erit*, à רבב. מאחבו Rom. 13. 8. *diligere*, ab חבב. ד נאגן 2. Cor. 12. 9. *ut inhabitet*, à גנן.

Conjugatio Hithpael perfecta est. אתחננתון Rom. 11. 30. *misericordiam consecuti estis.* נתכססון Joan. 3. 20. *redarguentur.* מתכסס הוא Luc. 3. 19. *redarguebatur.*

VI.

De Verbis לא & לי.

VERBA לה apud Syros perfecta sunt. תמהו Luc. 8. 56. *obstupuerunt*. תמיהין הוו Luc. 4. 32. *stupebant*. Legitur tamen à themate שמה *nominare*, שמי Marc. 3. 16. *nominavit*. אתשמי Act. 1. 23. *nominatus est*.

Verba autem לא & לי eodem prorsus modo conjugantur: imò commutant א & י absque ullo sensûs discrimine; ita ut non minùs rectè dicatur גלא quàm גלי *revelavit*, קרי quàm קרא *vocavit*.

Kal.

Præteritum.

Foem.	Masc.	
קרת & קרית	קרא & קרי	*Vocavit.*
קריתי	קרית	
	קרית	
קרי קרין	קרו , קרוו , קריו	
קריתין	קריתון	
	קרין קרינן	

Benoni.

Foem.	Masc.
קריא	קרא
קרין	קרין

Pehil non differt à Benoni.

Futurum.

נקרא	תקרא
תקרא	תקרין
אקרא	
נקרון	נקרין
תקרון	תקרין
נקרא	

Imperativus.

קרי	קרי
קרו , קרוון	קריין

Infinitivus.

מקרא

הוא vel חזי *vidit*, frequens.

גלית Math. 11. 25. *revelasti.* כסית ibid. *abscondisti.*

בסית Act. 20. 20. *sprevi.*

בסו Math. 22. 5. *spreverunt.* חדיו Math. 2. 10. *gavisi sunt.* בעאוני Dan. 4. 36. *quæsiverunt me.*

חזיתון Math. 21. 32. *vidistis.* לאיתון Joan. 4. 38. *laborastis.*

חזין Math. 2. 2. *vidimus.* צבינן 1. Thess. 2. 18. *voluimus.* שלינן Col. 1. 9. *cessavimus.*

שלי Luc. 23. 56. *quieverunt illæ.* הבין לאי Philipp. 4. 3. *laboraverunt illæ.* לאיין

H ij

Rom. 16. 12. *laboraverunt illæ.*
קרי Joan. 4. 16. *voca*, ô mulier.
בביין Luc. 23. 28. *flete.*

Hiphil.

אקרא	Præt.
מקרא	Ben.
מקרי	Pehil.
נקרא	Fut.
אקרא	Imp.
מקריו	Inf.

משקא Math. 10. 42. *potans*, qui potum dederit. מכרא 2. Cor. 2. 1. *contristans*. מחא Joan. 5. 21. *vivificans.*

ממחי Luc. 16. 20. *percussus*, à מחא. מכסי Rom. 16. 25. *absconditus.*

Hithpael.

אתקרא	Præt.
מתקרא	Ben.
נתקרא	Fut.
אתקרא	Imp.
מתקריו	Inf.

אתמלי Luc. 1. 67. *repletus est.* אתקרית Col. 4. 16. *lecta est.* מתקרא Act. 3. 2. *vocatus.* נתקרא Math. 5. 19. *vocabitur.* בתגלין Luc. 2. 35. *revelabuntur.* אתפנו Act. 3. 19. *convertimini.* ולא צבו למתרכיו Act. 7. 3. *& non voluerunt advertere.* למתרעיו Philipp. 1. 7. *sentire.*

VII.

Verbum הוא eſſe.

Præteritum.

Fœm.	Maſc.		
הות	הוא	3	Perſ. Sing.
הויתי	הוית	2	
	הוית	1	
הוי	הוו	3	Perſ. Plur.
הויתין	הויתון	2	
	הוין	1	

Benoni.

הויא	הוא
הוין	הוין

Futurum.

תהוא	נהוא
תהוא	תהוא
	אהוא
נהוין	נהוון
תהוין	תהוון
	נהוא

Imperativus.

הוי	הוי
הוין	הוו

Infinitivus.

מהוא

Secunda persona præteriti sæpissimè pro imperativo ponitur. הוית עבד Luc. 10. 37. ad verbum *fuisti faciens*, id est *fac.* לא הויתון מפקקין Math. 6. 7. *Ne sitis multiloqui.* מן קדם סבא הוית קאם Levit. 19. 32. *Coram sene surge.* הויתי חלימא Marc. 5. 34. *Esto sana.* הויתון עירין Marc. 13. 37. *Vigilate.*

Benoni pro futuro. הויא לי עלימותא Gen. 18. 12. *Erit mihi juventus.*

VIII.

Verbum חיא *Vixit.*

CONJUGATUR fere eodem modo ac הוא. Cùm sæpiùs occurrat, exempla sequentia non erunt Tyronibus ingrata.

In Kal. חיין *viventes.* חאין Act. 2. 47. idem. חאינן Rom. 14. 8. *viventes sumus.* חיינן Act. 17. 28. idem. נחא Joan. 3. 17. *vivet.* תחא Act. 11. 14. *vives.* תאחא Rom. 10. 9. idem. אחא Act. 16. 30. *vivam.* נחון 1. Cor. 9. 14. *vivent.* ניחון 1. Tim. 2. 4. idem. למחא Marc. 10. 26. *vivere.*

In Hiphil. אחי Marc. 15. 31. *servavit.* מחא Jac. 5. 20. *vivificans.* מחיא Joan. 6.

63. *vivificans* fœm. & per metathesim מיחא 2. Cor. 3. 6. unde מיחנא Eph. 5. 23. *servator*, quod nomen Philip. 3. 20. scribitur מחינא. מאחא Dan. 5. 19. *servans*. אחא Luc. 23. 37. *salva*. נחא Math. 16. 25. *salvabit*. תחא 1. Tim. 4. 16. *salvabit*. תאחא 1. Cor. 7. 16. idem. תאחיני ibid. *salvabis* tu fœmina, ubi observa י paragogicum, sicut & in תעליני Marc. 9. 25. *intrabis* tu fœmina. למחיו Math. 27. 42. *servare*. & cum א למאחיו Heb. 7. 24. idem.

IX.

De Verbis dupliciter defectivis, quadratis & anomalis.

Tres sunt Syris dupliciter defectivorum species eædem quæ Chaldæis, easdemque omninò leges sequuntur. בנ לא, פא לא, פי לא. Sufficiet cujusque speciei nonnulla exempla proponere.

פא לא. אתא *venit*. In Kal. תא Math. 9. 18. *veni*. תו Math. 4. 19. *venite*. תי Joan. 4. 16. *veni* mulier. תאין Math. 28. 6. *venite* ô mulieres. אתא Benoni. Math. 24. 30. *veniens*. אתי Pehil. Joan. 6. 17. *qui venerat*. אתיאין הוו Joan. 11. 19. *venerant*. אתא Joan. 14. 3. *veniam*. נאתון Marc. 13. 6. *venient*. למאתא Math. 11. 14. *venire*, &c. In Hiphil. איתי Math. 14. 11. *adduxit*. איתית Marc. 9. 17. *attuli*. מיתא Rom. 3. 6.

adducens. מיתין Act. 3. 2. *afferentes.* איתא Act. 22. 5. *adducam.* ניתון Act. 5. 21. *adducent.* איתא Joan. 20. 27. *adduc, infer.* איתו Math. 21. 2. *afferte.* למיתיו Joan. 10. 16. & Dan. 3. 13. *adducere.*

לא .פי .ימא *juravit.* יעא *germinavit.* למאמא Math. 26. 74. *jurare.* לא תאמון Math. 5. 34. *non jurabitis.* ד׳ נאמא בה Heb. 6. 13. *per quem juraret.* Hiphil. אומי *adjuravit.* מומא אנא Math. 26. 63. *adjurans ego.* מומין Act. 19. 13. *adjurantes.* נאעא *germinabit.* יעי *germina.* למאעא *germinare.* אועית Heb. 6. 7. *produxit.* תרעא Gen. 3. 18. *germinabit*, &c.

לא .פנ .נכא *oppressit.* נסא *tentavit.* אסר 2. Cor. 13. 5. *tentate.* נכיך Psal. 120. 6. *nocebit tibi.* אתנכיו Act. 10. 38. *percussi sunt.*

Verba quadrata seu quatuor litterarum eodem modo conjugantur ac perfecta.

Verba verò anomala sic dicta quòd in quibusdam tantummodo temporibus, modis & personis sint in usu, nonnihil difficultatis facesserent, si ingens esset eorum numerus, & ideo quis Syriacè disceret, ut Syriacè componeret ac loqueretur. Verùm cùm paucissima sint ejuscemodi verba, & idcirco tantùm disci soleat Lingua Syriaca, ut quæ Syriacè scripta sunt intelligi & verti possint (quod ut fiat nil refert scire quibus modis, temporibus ac conjugationibus

careant verba de quibus eſt ſermo) nullus indè Tyronibus metuendi locus. De ſingulis tamen pauca dicemus.

רהט *cucurrit.* In imperativo patitur interdum litterarum tranſpoſitionem. הרט 1. Tim. 6. 1. *curre.* הרטו Heb. 12. 14. *currite.*

זדק Imperſonale, *decet*, *juſtum eſt.*

מאן Similiter imperſonale, *tædet me*, *ægrè fero.*

נתל *dedit*, à נתן mutato נ in ל. Non uſurpatur niſi in infinitivo & futuro. למתל Marc. 6. 40. *dare.* נתל Math. 20. 28. *dabit.* אתל Luc. 21. 15. *dabo.* נתלון Math. 24. 24. *dabunt.*

יהב *dare.* Caret futuro, quod mutuatur à נתל. In imperativo abjicit י. הב *da.*

ולא *Oportet*, *decet*, *neceſſe eſt.* Non eſt in uſu niſi in Benoni. דכהנא ולא דנהוא Math. 26. 54. *Quia ſic neceſſe eſt ut fiat*, ſic oportet fieri. זליא הי הכיל Act. 1. 21. *Neceſſe eſt igitur.* הלין דין ולא הוא דתעבדון Math. 23. 23. ad verbum. *Hæc autem neceſſe erat ut faceretis.* Hæc oportuit facere. ולא לגברא דנחבון נשיהון Eph. 5. 28. *Neceſſe viris ut diligant uxores ſuas.* בתמלל עמך על מא דולא הוא לך למעבד Act. 9. 6. *Dicetur tecum ſuper eo quod neceſſe eſt tibi facere.*

X.

De Verbo אית *est.*

FREQUENTISSIME occurrit, impersonale est & cujuslibet numeri, ut apud Chaldæos. Jungitur pronominibus, ut sequitur.

איתוהי	Est ille.
איתיה	Est illa.
איתיך	Es tu vir.
איתיכי	Es tu fœm.
איתי	Sum ego.
איתיהון	Sunt illi.
איתיהין	Sunt illæ.
איתיכון	Estis vos viri.
איתיכין	Estis vos fœm.
איתין	Sumus nos.

Ex לא & אית fit contractum לית. ליתי *non sum.* ליתוהי *non est.* ליתהון *non sunt illi.* ליתכון *non estis*, &c.

Verbum אית junctum verbo substantivo הוא, ei ut plurimùm dat vim imperfecti. אית הוא דין Act. 1. 15. *Erat autem.* דכד איתוהי הוא אית הוו Math. 22. 15. *erant.* Act. 19. 1. *Et cùm esset.* איתיכון הויתון Eph. 5. 8. *eratis.* איתיהון הוו גיר Math. 4. 18. *Erant enim.* אית הוא עלוהי ספסירא Joan. 18. 10. *Erat super eum gladius.* (habebat gladium)

Exprimunt Syri per idem verbum אית

verbum *habeo.* אבא אית לן Math. 3. 9. *Patrem habemus.* חמרא לית להון Joan. 2. 3. *Vinum non habent.* מן דאית לה אדנא Math. 13. 43. *Qui habet aures.*

Notandum verbum אית in nonnullis ejuſcemodi phraſibus, jungi accuſativo, ſeu, quod idem eſt, jungi nomini ſuo mediante litterâ ל. לי לאבכל זבן אית לכון Math. 26. 11. *Me non ſemper habetis vobiſcum.*



CAPUT SEXTUM.

De Affixis Verborum.

Affixa Verborum ſeparata.

ני	Me.
ן	Nos.
ך	Te virum.
כי	Te fœm.
כון	Vos viros.
כין	Vos fœm.
ה , הי , יהי , והי , עהי	Eum.
ה	Eam.
אנון	Eos.
אנין	Eas.

Duo ultima pronomina non ſunt propriè loquendo affixa, cùm ſeor-

sim verbis adjungantur, ut jam jam videbitur.

Affixa Verbis conjuncta.

פקדני	Visitavit me.
פקדן	Visitavit nos.
פקדך	Visitavit te virum.
פקדכי	Visitavit te fœm.
פקדכון	Visitavit vos viros.
פקדכין	Visitavit vos fœm.
פקדה , פקדוחי	Visitavit eum.
פקדה	Visitavit eam.
פקד אנון	Visitavit eos.
פקד אנין	Visitavit eas.

Affixa activis tantùm verbis competunt. Excipiuntur infinitivi, qui cùm nominum locum teneant, affixa recipiunt in activis, in passivis, in intransitivis.

Participia, nominum ritu, recipiunt affixa.

Præteriti tertia pluralis masculina פקדו & paragogicè פקדון utroque modo recipit affixa. פקדוהי & פקדונהי *visitaverunt eum.* פקדוך & פקדונך *visitaverunt te.*

Tertia pluralis fœminina ejusdem præteriti פקדי & paragogicè פקדין utroque etiam modo recipit affixa. פקדיהי & פקדיניהי fœminæ *visitaverunt eum.*

Idem dicendum de personâ plurali

imperativi tam masculinâ, quàm fœmininâ. Utraque affixa recipit tam in formâ simplici, quàm in formâ paragogicâ. פקדוהי & פקדוניהי *Jubete ei ô viri.* פקדיהי & פקדיניהי *Jubete ei ô fœminæ.*

Masculina singularis imperativi assumit י ante affixa. זקפיהי Marc. 15. 13. *Crucifige eum.* סתריני Psal. 32. 7. *Absconde me.* אשגיני Psal. 51. 4. *Lava me.* אסבעיני Psal. 51. 10. *Satura me.* אתדכריני Psal. 51. 7. *Memento mei.* ברכיני Gen. 27. 34. *Benedic mihi.* אעליני Dan. 2. 24. *Introduc me.* פרוקין Dan. 3. 43. *Libera nos.*

In futuris Syri non inserunt נ ante affixa, uti inserunt Chaldæi. Cùm ergò legitur נשקלונך Math. 4. 6. *Portabunt te;* נחוונני Dan. 5. 15. *Indicabunt mihi;* & similia infinita, non idcircò נ scriptum ante affixum reputandum est epentheticum, sed pertinet ad verbum, quod eò loci terminatur in ן.

Futuri tertia fœminina quæ terminatur in י, תפקדי, abjicit illud י ante affixa. תעורני אידך Psal. 119. 179. *Auxiliabitur mihi manus tua.* נפשי תשבחך Psal. 119. 175. *Anima mea laudabit te.* ימינך תסיעני Psal. 18. 36. *Dextera tua juvabit me.*

Secunda singularis futuri interdum assumit י ante affixa. לא תבהתיני Psal. 119. 31. *Non pudefacies me.* לא תובדיני Psal. 26. 19. *Ne perdas me.*

Perſonæ futuri deſinentes in ן illud ante affixa non abjiciunt.

Infinitivi deſinentes in ו aſſumunt ת ante affixa. משכח אנת למדכיותי Math. 8. 2. *Potens tu mundare me.* אתית למובדותן Marc. 1. 24. *Veniſti perdere nos.* למקבלותה 1. Tim. 1. 15. *Ad recipiendum eum.* למקדשותה Exod. 20. 8. *Ad ſanctificandum eum.* למאסיותה Math. 17. 16. *Sanare eum.* למחויותני Dan. 2. 26. *Indicare mihi.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Dictione ſeu de Particulis.

I.

Adverbia.

Loci.

האן , איכו , איכא	Ubi.
תמן	Ibi.
תנן , כא , הרכא	Hîc.
לכא , להרכא	Huc.
מכא	Hinc.
מן איכא , מן איכן , אימכא מן אימכא	Unde.
לגו , מן לגו	Intus.
לבר	Foras.

בסתר , לבסתר	Retrorſum.
מן לעל	Supernè.
הל , להל	Procul , ultra.
מצעת , במצעת , לגו	In medio.

Temporis.

הידין	Tunc.
השא	Nunc.
על דהשא	Jam nunc.
מן השא , מכיל	A nunc , deinceps.
להשא , עד מא	Uſque nunc.
יומנא	Hodie.
אתמל , מן תמל	Heri , nudiuſtertius.
מחר	Cras.
בבר	Jam.
בתר כן	Poſtea.
מן כדו	Jam dudum, jamtum.
עד כיל	Adhuc, nondum
לוקדם , מן קדם , מן קדים	Priùs, ante, olim.
עגל , בעגל , מן שליא	Citò , ſubitò , feſtinanter.
מחדא	Statim.
אמהי , אימתי , לאימתי , כל אימתי	Quotieſcunque.
מתום , ממתום , מן מתום	Aliquando.
Si præcedat aut ſequatur לא	Nunquam.

בה בשעתא , ברשעתא	Eâdem horâ.
בחרתא , אחרית	Tandem.
בכל זבן	Semper.

Numeri.

קדמאית	Primò,
תניתאית	Secundò, & sic de cæteris adverbiis numeralibus.

Interrogandi.

Non habent Syri interrogativum ה, in quo ab Hebræis & Chaldæis differunt, sed vim illius exprimunt per dictionem למא.

למא , דלמא דאן , לו	An, nonne, numquid.
לא , לא הא	Nonne.
איכו , איכן , איכנא	Quomodo.
עד מא	Quo usque.
למנא	Quare.
על מנא הנא	Quâ de causâ.
כמא זבנין	Quoties.

Notandum est esse apud Syros phrases verè interrogativas, absque ullo vocabulo præfixo, aut signo interrogandi. נטורה אנא גיר דאחי Gen. 4. 9. *Custos ego enim fratris mei*, id est, an ego custos sum fratris mei? רבא הי צבותא מן מריא Gen. 15. 14. *Num magnum est negotium apud Deum?*

Affirmandi & negandi.

אין	Ita, certè.
לא, לית, לו	Non.

Dubitandi.

כבר	Forsitan.
דלמא	Ne fortè.
למא	Ne.
אפשר, איפשר	Fortè.

Similitudinis.

Pro præfixo כ, quod apud Hebræos & Chaldæos similitudinis nota est, utuntur Syri particulâ איך ד, איך.

איך, איך ד	Sic, sicut.
כות, אכות, הכות, אכמא איכנא, הכנא	Sicut, Quemadmodum.
חד כמא	Quantò magis.
כזעיר, כלמא	Propemodum, Ferè.

Qualitatis.

Adverbia qualitatis desinunt ut plurimùm in אית, & formantur ex adjectivis.

עבראית	Hebraïcè.
ארמאית	Syriacè.
יונאית	Græcè.
שריראית	Verè.
בישאית	Pessimè.

חכימאית	Sapienter.
רורבאית	Vehementer.
פגרנאית	Corporaliter.
אמינאית	Jugiter.

Interdùm ipsa adjectiva adverbiascunt.

טב	Multùm.
שפיר	Aptè, pulchrè.
יתיר	Magis.
קליל	Minùs.

Non rarò adverbia formantur ex nominibus, adjunctâ aliquâ præpositione.

לגמר	Perfectè.
בכסיא	Occultè.
בגליא	Manifestè.

Quantitatis.

יתיר , יתיראית	Magis.
קליל , זעיר	Parum.
סגי	Multùm.
תוב	Iterum.
סך , סכא	Omninò.
בלחוד	Solummodo.
אכחדא	Unâ, pariter.
לסטר	Seorsim.

II.

Præpositiones.

ב	In, propter, cùm, &c.
ל	Ad, in, &c.

עם	Cum.
מן	A, de, ex, &c.
בין, ביני, בינת, בית	Inter.
איך	Secundum.
לות, ציד, צאד	Ad, apud.
קדם, לוקדם	Ante.
עד	Uſque.
על	Super, propter, contra.
על אפי	Super.
חדרי, על יד, על גב	Apud, juxta, circum.
בתר	Poſt.
תחת, תחות, תחית	Sub.
חלף	Pro.
לעין, לוקבל	Coram, contra.
בלעד, בלעדי, דלא	Abſque.
סטר מן, אלא אן	Præter, niſi.
מטל, מטלת	Propter.
לבר מן	Extra.
עד מא	Uſque.

III.

Conjunctiones.

ו, אף	Et, etiam.
או	Aut.
אן, אלו	Si,
אן לא, לא	Niſi.
ואן לא	Alioquin.
ברם	Verùm, veruntamen.
מטל הנא	Idcirco.
הכיל	Igitur.

מכיל	Proindè.
ד , מטל ד	Ut , quia.
אפן	Quamvis , etiamsi.
כי	Igitur , ἄρα.
לם	Nempe , scilicet.
כד	Cùm , etiamsi.

Sequentes videntur ex Græcis desumtæ.

גיר	γὰρ	Enim , poniturque secundo loco.
דין	δὲ	Autem.
מן	μὲν	Quidem.
אלא	ἀλλὰ	Sed.
אן	ἂν	Utique.
מלון	μᾶλλον	Magis.

I V.

Interjectiones.

בבעו	Obsecro.
הא	Ecce.
לוי , אשתוף	Utinam.
חס , פוי	Absit.
אוי , אוה , הוי הוה	Eheu , ah , ô.
וי	Væ.
או און	O (vocantis.)



CAPUT OCTAVUM.

Observationes nonnullæ Syntaxin spectantes.

NOMEN & adjectivum, pronomen & antecedens, nominativus & verbum multò rariùs discordant apud Syros, quàm apud Hebræos.

Abstracta pro concretis sumuntur sæpissimè. רוחא דקדשא ad verbum *Spiritus sanctitatis*, id est sanctus: nisi dicatur ibi & in infinitis prope locis similibus, præfixum ד vel significare *qui, quæ, quod*, רוחא דקדשא *Spiritus qui sanctus*, vel superfluere, uti innumeris in locis superfluere certissimum est.

Quod Græci per alpha privativum exprimunt, exprimunt Syri ut & Hebræi per negativam particulam לא. לא מהימנא Joan. 20. 27. *Incredulus.* לא הימנותא Math. 13. 58. ἀπιςία, *Incredulitas.* לא מיותותא 1. Cor. 15. 54. *Immortalitas.* מטול לא הימנותהון Math. 13. 58. *Propter incredulitatem eorum.* הוי דלא מומ Gen. 17. 1. *Esto immaculatus.*

Vox geminata distributionem plerumque indicat. בלשן לשן Act. 2. 4. *Variis*

linguis. בתר בתר Act. 21. 19. *Post post*, id est ordine, successivè, per singula. לחד חד 1. Cor. 15. 38. *Uni uni*, id est unicuique. תרין תרין Marc. 6. 7. *Duos duos*, id est binos. שקלו דינר דינר Math. 20. 10. *Acceperunt denarium denarium*, id est singuli denarium. בדוכא דוכא Math. 24. 7. *In singulis locis.* לאנש אנש Math. 16. 28. *Viro viro*, id est unicuique.

Numerus cardinalis non raro pro ordinali. ונפק בתלת שעין Math. 20. 3. *Et exivit circa tres horas*, id est circa tertiam horam. ונפק תוב בשת ובתשע שעין versu sequenti. *Et exivit secundò circa sex & novem horas*, id est circa sextam & nonam horam.

Hoc in casu nonnunquàm præponitur ד. בירחא דתרין Gen. 7. 11. *Mense secundo.* הכות אף הו דתרין אף הו דתלתא ועד מא לשבעתהון Math. 22. 26. *Similiter etiam ille qui duo*, id est secundus; *etiam ille qui tres*, id est tertius; *& usque ad septem*, id est septimum *eorum*.

Partes aliquotæ non uno modo exprimuntur. חדא מן שת Ezech. 45. 13. & alibi. Accipiant *unam de sex*, id est sextam partem. חד מן חמשא Gen. 47. 24. & 26. Levit. 22. 14. 27. 13. & 15. & alibi. *Unum de quinque*, id est quintam partem. Legitur etiam תולתה Num. 15. 6. *Tertia pars.* רובעה Num. 15. 4. *Quarta pars.* חומשה

Levit. 5. 16. *Quinta pars*, &c.

Quod Latinè dicimus *quadruplum*, *septuplum*, *decuplum*, *centuplum*, &c. exprimunt Syri cardinali numero interdùm ſolo, interdùm adjunctâ præpoſitione ב; interdùm etiam cum præpoſitione ב, adjecto vocabulo חד. Cum cardinali numero ſolo, אשכח אנון יתירין עסר על כל חרשא Dan. 1. 20. *Invenit eos præſtantiores decem*, id eſt decuplo *ſuper omnes ariolos.* ואשכח מאא דסערא Gen. 26. 12. *Et invenit centum*, id eſt centuplum *hordei.* Cum præpoſitione ב. ולכל נש מדם דעלבת , בארבעא פרע אנא Luc. 19. 8. *Et quemcumque aliquâ re defraudavi*, *in quatuor*, id eſt quadruplum *reſtituens ego.* Cum præpoſitione ב & vocabulo חד, חד בשבע נתפרע קאין Gen. 4. 24. *Unum in ſeptem*, id eſt ſeptuplum, *rependetur Caïno.* חד במאא נקבל Math. 19. 29. *Centuplum accipiet.* מדכי חד בשבעא Pſal. 12. 7. *Purgatum ſeptuplum.*

Numeri cardinales fiunt interdùm adverbia temporis, vel ſola, ut חדא בשנתא Levit. 17. 34. *Semel in anno*; צאם אנא תרין בשבתא Luc. 18. 12. *Jejuno bis in Sabbatho*; שבעין ושבעא Gen. 4. 24. *Septuagies ſepties*; vel additâ voce זבן. זבנתא חדא Gen. 19. 3. *Semel.* תרתין זבנין Num. 20. 10. Marc. 14. 3. *Bis.* שבעין זבנין Math. 18. 28. *Septuagies.* Si præponatur ד, fiunt adverbia ordinalia. דתרתין זבנין Math. 26. 42.

& Marc. 14. 72. *Secundâ vice.* דתלת זבנין Math. 26. 44. Marc. 14. 41. *Tertiò, tertiâ vice.*

In diſtributionibus Syri vocabulum *aliud* exprimunt per איח ד quaſi *eſt qui.* Math. 13. 8. *Et dedit fructum* אית דמאא ואית דשתין ואית דתלתין *aliud centum, aliud ſexaginta, aliud triginta.*

Pleonaſmus pronominum tam ſeparatorum quàm affixorum apud Syros frequentiſſimus eſt. בהון דין ביומתא הנון Math. 3. 1. *In illis autem in diebus illis*; id eſt, in illis autem diebus. אף אנא אמר אנא לכון Math. 21. 24. *Etiam ego dicam ego vobis.* מעמודיתא דאנא עמד אנא תעמדון Math. 20. 23. *Baptiſmo quo ego baptizor ego baptizabimini.* אנתון דין אמרין אנתון Math. 15. 5. *Vos autem dicentes vos.* מא לן אנת ידע אנת Math. 27. 4. *Quid ad nos? Tu videns tu*, id eſt tu videris. למנא אף אנתון עברין אנתון Math. 15. 3. *Quare & vos tranſgredientes vos.* וידעינן חנן Joan. 21. 24. *Et ſcientes nos nos*, id eſt ſcimus. איכנא דאיתותי הו 1. Cor. 15. 48. *Sicut eſt ille ille.*

Inſeritur iſtud pronomen הו etiam cum pluralibus, quibuſcum magis adhuc videtur ſuperfluere. ואן בהלין הו חיא בלחוד מסברינן 1. *Cor.* 15. 19. *Et ſi in his* (hoc) *vitis tantùm ſperantes ſumus.* הו redundat omnino ut & in ſequenti membro. דיינן הו.

הו מן כלהון בנינשא *Miserabiliores sumus præ omnibus hominibus.*

Substantivum regens sæpissimè annexum habet affixum substantivi quod regitur, & affixum illud prorsùs superfluit. מלכה דמריא Matth. 1. 20. ad verbum: *Angelus ejus Domini.* Simpliciter vertendum est, *Angelus Domini.* יוסף ברה דדויד ibid. *Joseph fili* (*ejus*) *David.* תלמידיוהי דיוחנן Marc. 2. 18. *Discipuli* (*ejus*) *Joannis.*

Cùm antecedunt duo substantivà quorum utrumque regit aliud substantivum sequens, duo illa substantiva non rarò annexum habent affixum substantivi sequentis. מן ביתה ושרבתה דדויד Luc. 2. 4. *De domo* (*ejus*) *& de familiâ* (*ejus*) *David.* מהלכין בכלהון בפקדנוהי ובכאנותה דמריא Luc. 1. 6. *Incedentes in omnibus* (*ejus*) *mandatis & in justitiâ* (*ejus*) *Domini.*

Contingit ille pleonasmus, etsi substantivum constructum non immediatè sequatur. אן מלכה הו דיסריל Math. 27. 42. *Si Rex* (*ejus*) *est Israëlis.* ברה אנא דאלהא Math. 27. 43. *Filius* (*ejus*) *ego Dei.*

Contingit & in constructione verborum cum nominibus. תשלמוניהי להנה לסטנא 1. Cor. 5. 5. *Tradetis* (*eum*) *illum Satanæ.* וכנש כלהון רבי כהנא Math. 2. 3. *Et congregavit omnes Principes Sacerdotum.* הון superfluit. דהו נרעיוהי לעמי יסריל Math.

2. 6. ad verbum : *Qui ille pascet eum populum meum Israelis* ; id est, qui pascet populum meum Israel. איכא איתוהי טליא Math. 2. 9. *Ubi erat puer*. Redundat והי. כד דין חזאוהי לכוכבא Math. 2. 10. *Cùm autem vidissent stellam*. Iterùm superfluit הי.

Ponitur interdum pronomen affixum inter verbum & suum casum cum eâdem præpositione quæ nomini præfigitur, & tunc ipsa præpositio unà cum affixo pleonastica est. לא ידעין אנתון לה למתלא הנא Marc. 4. 13. *An nescitis hanc parabolam hanc?*

Pronomen dativi casûs non minùs sæpè redundat quàm apud Hebræos. זל לך Gen. 12. 1. Math. 4. 10. *Vade tibi*. פרקו לכון Math. 9. 24. *Recedite vobis*. שני לה Math. 4. 12. *Migravit sibi*. קרבת לה Math. 4. 17. *Appropinquat sibi*. מיתו להון גיר Math. 2. 20. *Mortui sunt enim*. Superfluit להון. לעזר מית לה Joan. 11. 14. *Lazarus mortuus est*. אבדו להון 1. Cor. 15. 18. *Perierunt*.

Pronomen genitivi casûs æquè frequenter redundat. תלמידיך דילך Marc. 2. 18. *Discipuli tui*. Sufficiebat תלמידיך. צביני דילי. Marc. 14. 36. *Voluntas mea*. תאגורתן גיר דילן גבא הי 1. Tim. 6. 6. *Quæstus noster enim noster magnus est*. Superfluit דילן.

Præfixum ד, quod vulgò eſt vel nota genitivi, vel relativum *qui, quæ, quod*, aut conjunctio *ut*, ſæpiſſimè videtur redundare, ſive cum adjectivis, ſive cum verbis. רוחא דקדשא Math. 1. 18. *Spiritus ſanctus.* חיותא דתרתין Dan. 7. 5. *Bellua ſecunda.* נהרא דארבעא Gen. 2. 14. *Fluvius quartus.* לטורא דטב רם Math. 4. 8. *In montem valdè excelſum.* על פכך דימינא Math. 5. 39. *Super maxillam tuam dexteram.* הדא דין כלה דהות Math. 1. 22. *Hoc autem totum factum eſt.* ד ante הות ſuperfluit. וקרב דמנסא Math. 4. 3. *Et accedens tentator.*

Pronomina plerumque vim habent verbi ſubſtantivi. אנא אנא Joan. 10. 11. *Ego ſum.* אנא אנא אלהא Act. 7. 32. *Ego ſum Deus.* אנת מן אנת Joan. 1. 19. *Tu quis es?* הי הי Gen. 23. 19. *Hæc eſt.* אנתון אנון נוהרא דעלמא Math. 5. 14. *Vos eſtis lux mundi.*

Verba compoſita ex præpoſitionibus *præ* & *ante* exprimunt Syri per verbum קדם hoc modo. הא קדמת אמרת לכון Marc. 13. 23. ad verbum: *Ecce præveni dixi vobis*, id eſt, prædixi vobis. הנא דקדם סמה אלהא Rom. 3. 25. ad verbum: *Hunc quem prævenit poſuit eum Deus*, id eſt, hunc quem propoſuit Deus. קדמו אתכתבו Jud. 4. *Prævenerunt ſcripti ſunt*, id eſt, præſcripti ſunt. מלא דקדמי אתאמרי

Jud. 17. *Verba quæ prævenerunt dicta fuerunt*, id eſt, quæ prædicta fuerunt.

Quæ præcipuè obſervanda erant à Tyronibus circa verba, ſuo quæque loco ſuprà annotata ſunt. Cætera ſuo marte facilè quiſque deteget.

Finis Grammaticæ Syriacæ.



INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM Grammaticæ Syriacæ.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

De Nomine.

CAPUT TERTIUM.

De Pronomine.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

De Affixis Verborum.

CAPUT SEPTIMUM.

De Dictione seu de Particulis.

CAPUT OCTAVUM.

GRAMMATICA SAMARITANA.



PRÆFATIO.

ERUDITIS dubium non est quin Pentateuchus Samaritanus Textui Hebraïco illustrando plurimùm conferat.

De Samaritanâ istius Pentateuchi Versione non idem est eorum judicium; tum quòd exiguæ sit auctoritatis hæc Versio, licet antiquissima plerisque videatur nec immeritò; tum quòd evidens sit illam à Textu ipso Samaritano pluribus in locis discrepare.

Hinc fit ut Doctis, iis etiam qui sacris Scripturis intelligendis toti se addixerunt, non multùm curæ sit, nec esse debeat scire Samaritanè; præsertim cùm discrepantiæ, quæ inter Versionem Textumque Samaritanum intercedunt, à Bibliorum Polyglottorum Londinensium Editoribus in fine uniuscujusque columnæ Latinæ Versionis Textûs Samaritici satis diligenter collectæ sint, easque cuilibet, cùm opus erit, consulere liceat.

Grammaticam nihilominùs Samaritanam, post Hebraïcam, Chaldaïcam &c



PRÆFATIO.

ERUDITIS dubium non est quin Pentateuchus Samaritanus Textui Hebraïco illustrando plurimùm conferat.

De Samaritanâ istius Pentateuchi Versione non idem est eorum judicium; tum quòd exiguæ sit auctoritatis hæc Versio, licet antiquissima plerisque videatur nec immeritò; tum quòd evidens sit illam à Textu ipso Samaritano pluribus in locis discrepare.

Hinc fit ut Doctis, iis etiam qui sacris Scripturis intelligendis toti se addixerunt, non multùm curæ sit, nec esse debeat scire Samaritanè; præsertim cùm discrepantiæ, quæ inter Versionem Textumque Samaritanum intercedunt, à Bibliorum Polyglottorum Londinensium Editoribus in fine uniuscujusque columnæ Latinæ Versionis Textûs Samaritici satis diligenter collectæ sint, easque cuilibet, cùm opus erit, consulere liceat.

Grammaticam nihilominùs Samaritanam, post Hebraïcam, Chaldaïcam &


Syriacam, ex Morino, Castello & Cellario decerptam damus duas ob causas. Primùm ut argumento sit tres illas Linguas absque punctis doceri & disci posse, cùm Lingua Samaritana etiamnunc punctis careat & absque punctis discatur. Deindè ut promissum exolvamus, quo spopondimus nullam esse ex veteribus & mortuis Orientalibus Linguis, cui edocendæ impar sit à nobis adinventa methodus.

Neminem morari debet nostra pronunciandi ratio. *Nihil enim certi constat*, inquit Cellarius Grammaticæ Samaritanæ cap. 6. n. 12. *de punctis Samaritanæ lectionis, & quisque iis potest uti liberrimè.* Et cap. 1. *Nobis ignota est antiquorum Ebræorum elocutio, & nimiùm dissident Judæi nostrates in hac causâ à plerisque Christianis. Quid mirum ergò si non certissima sit nobis pronunciatio Samaritanorum? Linguas hasce addiscimus* (Notent Lectores certissimum istud effatum) *Linguas hasce addiscimus non tam colloquendi causâ, quàm intelligendi scripta monumenta Orientalium populorum.*

Cæterùm ab eâ Grammaticâ evulgandâ procul dubio abstinuissemus, si multum temporis in eâ ediscendâ fuisset insumendum. Verùm cùm viginti circiter pagellis contineatur, unoque die

tota disci possit, indè saltem excusationem habebimus, quòd si in eâ edisscendâ non adeò magna utilitas percipienda sit, ita etiam nec magnus labor impendendus.

Qui ergò adepti Linguæ Hebraïcæ, Chaldaïcæ & Syriacæ notitiam, volent insuper Samaritanam Pentateuchi Versionem evolvere, poterunt ope hujusce Grammaticæ (justò certè brevioris, nisi cum præcedentibus conjungeretur) tribus quatuorve hebdomadibus ad summum universum opus conficere. Quâ in lectione si curaverint annotare præcipua loca, in quibus à Textu discedit aut Textum explicat illustratve Versio Samaritana, nihil superèrit cur in eâ Linguâ excolendâ memoriæque tenaciùs infigendâ satagant.



Alphabetum Samaritanum.

Nomen.	*Figura.*	*In Mſ.*
Aleph.	ࠀ	ࠀ
Beth.	ࠁ	ࠁ
Ghimel.	ࠂ	ࠂ
Daleth.	ࠃ	ࠃ
He.	ࠄ	
Ouau.	ࠅ	ࠅ
Zain.	ࠆ	
Heth.	ࠇ	ࠇ
Teth.	ࠈ	
Iod.	ࠉ	
Chaph.	ࠊ	ࠊ
Lamed.	ࠋ	
Mem.	ࠌ	ࠌ
Noun.	ࠍ	ࠍ
Samech.	ࠎ	
Ain.	ࠏ	
Phe.	ࠐ	ࠐ
Tſade.	ࠑ	
Kouph.	ࠒ	
Reſſ.	ࠓ	
Sſin.	ࠔ	
Thau.	ࠕ	



GRAMMATICA SAMARITANA.



CAPUT PRIMUM.

De Litteris.



ÆDEM sunt Samaritanis litteræ quæ Hebræis.

Characteres diversi, quibus non utimur ob rationes datas cap. 1. Grammaticæ Syriacæ.

Grammatica eadem ferè ac Chaldaïca.

Vocabula ut plurimùm aut purè Hebræa, Chaldaïca vel Syra, aut tantisper ad eum modum immutata quo immutantur Chaldaïca & Syriaca ex Hebræo descendentia.

Sunt etiam plurima huic Linguæ propria, nec ab Hebraïcis, Chaldaïcis aut Syriacis derivata, eaque proportione

ſervatâ majore numero quàm apud Syros. Talia ſunt טלמם *creavit*, פלוק *firmamentum*, קמץ *avis*, פסקול *fœdus*, קיצם *lignum*, תליםם *frater*, אקרין *insulæ*, אסולה *ancilla*, & innumera alia paſſim obvia. Suſpicatur Cellarius vocabulum אסולה ex Latino originem ducere. Nonnulla habent ex Græco certiſſimè deſumta, eaque non ſemper eodem modo ſcribunt. במיצון Gen. 1. 6. במצת Gen. 1. 7. במיסון Gen. 2. 9. ἐν μέσῳ, *in medio*.

Præter litterarum immutationem de quâ ſatis actum eſt Grammaticæ Chaldaïcæ Capite primo, eſt apud Samaritanos & alia non minùs obſervanda.

Permutant enim frequentiſſimè gutturales inter ſe.

א in ע.

עמה Exod. 23. 19. *Mater*, pro אמה.

למעני Num. 18. 3. *Ad vaſa*, pro למאני.

בעש Gen. 38. 10. *Malus fuit*, pro באש, vel ביש.

סגיעיה Exod. 2. 23. *Multi*, pro סגיאיה.

עילן Gen 2. 16. *Arbor*, pro אילן.

שעל Deut. 6. 20. *Interrogavit*, pro שאל.

עסירים Exod. 12. 11. *Ligati*, pro אסירים.

ע in א.

ארק Gen. 31. 21. *Fugit*, pro ערק.

עורי Gen. 29. 35. *Adhuc*, pro עורי.

א in ח.

חמתה Exod. 2. 5. *Ancilla ejus*, pro אמתה.

חחרי. Exod. 33. 8. *Post*, pro אחרי.

ח in ע.

תרעלון Exod. 9. 30. *Timebitis*, pro תדחלון.

עד Exod. 26. 7. *Unus*, pro חד.

רעמת Exod. 2. 6. *Diligebat*, pro רחמת.

אתעיבת Gen. 44. 32. *Peccati sum reus.* אתחיבת.

עובי Gen. 41. 9. *Peccatum meum.* חובי.

עמיר Exod. 12. 15. *Fermentum*, pro חמר.

עברה Gen. 31. 49. *Socius ejus*, pro חברה.

נעת Gen. 11. 5. *Descendit*, pro נחת.

דנע Deut. 33. 2. *Ortus est*, pro דנח.

ע in ח.

תרח Exod. 32. 26. *Porta*, pro תרע.

ע in ה.

זחרה Num. 35. 8. *Parva*, pro זעורה.

ארה Num. 34. 29. *Terra*, pro ארע.

ח in ה.

תהוכם Exod. 10. 14. *Terminus*, pro תחום.

סהאר Exod. 28. 32. *Circa*, pro סחר.

ויסהר Num. 34. 5. *Et circumibit.* ויסחר.
אהיך Deut. 15. 7. *Frater tuus*, pro אחיך.
תסהנון Levit. 25 46. *Possidebitis.* תסחנון.

ה in ח.

מחימני Num. 31. 14. *Præfecti*, pro מהימני.

ח in ע.

סעד Gen. 31. 41. *Testimonium*, pro סהד.

ע in י.

פילה Deut. 32. 4. *Opus*, pro פעלה.

Præter gutturales permutant Samaritani & alias litteras.

כ in ק.

אנה חלקי Gen. 25. 32. *Ego vado.* אנה הלכי.

ק in ח.

חרבה Exod. 13. 17. *Bellum*, pro קרבה.

ו in ב.

חבה Gen. 37. 16. *Indicavit*, pro חוה.
החביני Gen. 32. 29. *Indica mihi*, pro החויני.
שבה passim *Posuit*, pro שוה.
גב Gen. 35. 2. *Medium*, pro גו.
צבאר Gen. 41. 42. *Collum*, pro צואר.
לבחי Deut. 5. 22. *Tabulæ*, pro לוחי.

ס in ז.

יזף passim *Addidit*, pro יסף.

Notandum in plurimis vocibus inſeri non tantùm tres litteras א ו י, quod Hebræis interdùm contingit, ſed & ה & ע. אנח מחת Gen. 50. 20. *Ego morior*, pro אנה מת. שור רהם Deut. 3. 5. *Murus altus*. רהם pro רם. קריהתה Deut. 3. 5. *Urbes*, pro קריתה. מהלכה Deut. 21. 22. *Rex*, pro מלכה. כנשהתה Num. 20. 22. *Congregatio*, pro כנשתה. דהאב Num. 5. 2. *Fluens*, pro דאב. כהלון Num. 13. 4. pro כלון *Omnes*. אל תקעם Gen. 45. 9. *Ne ſtes*, pro אל תקם. אלהים דעני Gen. 30. 6. *Dominus judicat me*. דעני pro דני. רב משקעיה Gen. 40. 9. *Princeps pincernarum*. משקעיה pro משקיה. געזין Deut. 31. 13. *Tranſeuntes*, pro גזין. תועל Deut. 32. 2. pro תול *Fluet*. צעורן Deut. 30. 31. *Rupes eorum*, pro צורן. גועיה passim *Gentes*, pro גויה.





CAPUT SECUNDUM.

De Nomine.

SAMARITANIS tres nominum ſtatus, ut Chaldæis & Syris; numeri duo, genera totidem.

Maſculina ſingularia.

Status abſolutus, emphaticus, conſtructus

אלה	Deus.	אלהה	אלה
אנש	Homo.	אנשה	אנש
מלך	Rex.	מלכה	מלך
קדיש	Sanctus.	קדישת	קדיש
גוי	Gens.	גויה	גוי

Maſculina pluralia.

אלהים		אלהיה	אלהי
אנשין		אנשיה	אנשי
מלכין		מלכיה	מלכי
קדישין		קדישיה	קדישי
גוים		גויה	גוי

Fœminina ſingularia.

כנשה	Congregatio.	כנשתה	כנשת
קדישה	Sancta.	קדישתה	קדישת
אסחנו	Poſſeſſio.	אסחנותה	אסחנות

רשעו	Malitia.	רשעותה	רשעות
פלי	Portentum.	פליתה	פלית
משרי	Castrum.	משריתה	משרית

Fœminina pluralia.

כנשאן	כנשאתה	כנשאת
קדישאן	קדישאתה	קדישאת
אסחנואן	אסחנואתה	אסחנואת
רשעואן	רשעואתה	רשעואת
פליאן	פליאתה	פליאת
משריאן	משריאתה	משריאת

Ut videre est in hoc diagrammate, littera ה tenet apud Samaritanos locum Chaldaïci emphatici א.

Masculina singularia terminantur quovis modo.

Fœminina ut plurimùm in ה, ו & י, & id in statu absoluto. In statu emphatico, in תה, ותה & יתה; in statu verò constructo, in ת, ות & ית.

Masculina pluralia in statu absoluto desinunt vulgò in ים, interdùm in ין & in אים; in statu emphatico, in יה; in constructo, in י.

Fœminina verò pluralia desinunt in statu absoluto in אן, interdùm in הן & in ן; in emphatico, in אתה, & nonnunquàm in התה; in constructo, in את, in הת & in ת.

Nonnulla masculina habent in plurali

terminationem fœmininam. אבהתה, אבהתה & אבהן. *Patres.* שמהתה & שמהן *Nomina*, &c.

E contrà fœminina nonnulla habent in plurali terminationem masculinam. מלים & מלין *Verba.* נשיה & נשין *Mulieres.* שניה & שנין *Anni*, &c.

Pluralia tantùm sunt חיים & חיה *Vitæ.* שומיים & שומיה *Cœlum.* אפים *Facies*, &c.

Cùm duorum fit mentio, sæpiùs additur תרים vel תרתי *Duo.* Aliquando etiam, sed raro usurpatur terminatio אים. זבנאים Num. 20. 11. *Duabus vicibus.* סעראים Num. 35. 30. *Duo testes.* Est autem terminatio in אים verè pluralis. Sed sicut apud Hebræos pluralis interdùm pro duali ponitur, ita & apud Samaritanos.

Casuum notæ eædem quæ apud Chaldæos.

מלך	Rex.
דמלך	Regis.
למלך	Regi.
ית מלך	Regem.
מן מלך ממלך	A Rege.

Genitivus regitur ut plurimùm mediante præfixo ד; interdum ut apud Hebræos per solam constructionem. קמץ עללת *Volatile cœli.* יומי שני חייך *Dies annorum vitæ tuæ.*

Nota dativi eſt ל.

Accuſativi non tantùm ית, ſed & עם.

Sunt Samaritanis eædem nominnm ſpecies quæ Chaldæis & Syris.

Fœmininum adjectivorum ex maſculino formatur additione litteræ ה. טב *Bonus*. טבה *bona*.

Comparativum exprimitur per præpoſitionem מן; ſuperlativum per adverbium טב *Valdè*, *benè*, vel geminatione poſitivi.

Gentilia maſculina ſingularia terminantur in אה. ארמאה *Aramæus*. מצראה *Ægyptius*. Pluralia in אים. ארמאים מצראים. Fœminina ſingularia in יה & יתה. עבריה, מדיניה, עבריתה, מדיניתה. *Hebræa*, *Madianitis*. Pluralia in אתה. עבראתה מדינאתה *Hebrææ*, *Madianitides*.

Numeralia cardinalia maſculina terminantur in אה. תליתאה *Tertius*. רבעאה *Quartus*. Et quiſquis novit nomina numeralia Chaldæorum & Syrorum, nihil prorsùs difficultatis in nominibus numeralibus Samaritanorum experietur.





CAPUT TERTIUM.

De Pronomine.

אנה אנא אני אנכי	Ego.
אנחנן אנן	Nos.
את אתה	Tu masc.
אתי	Tu fœm.
אתון	Vos Masc.
אתין	Vos fœm.
הוא הו ההוא	Ille.
היא הי ההיא	Illa.
אנון האנון	Illi.
אנין האנין	Illæ.
אלין האלין	Illi & illæ.

Casus obliqui ut apud Chaldæos & Syros. Raro utuntur particulâ די cum pronominibus. Separatum די non habent. Sæpiùs utuntur pronominibus affixis.

ברי	Filius meus.
ברנן ברן	noster.
ברך	tuus, ô vir.
בריך	tuus, ô fœm.
ברכון ברוכן	vester, ô viri.
ברכין ברכן	vester, ô fœm.
ברה ברו	ejus masc.

ברה

ברה	ejus fœm.
ברון ברהון	eorum.
ברין ברהין	earum.
ברי ברייי Filii	mei.
ברינן	noſtri.
בריך	tui.
בריכון	veſtri, ô viri.
בריכין	veſtri, ô fœm.
בריה בריו	ejus viri.
בריה	ejus fœm.
בריון בריהון	eorum.
בריין בריהין	earum.

Pronomen *ipſe*, quod Hebræi per עצם exprimunt, exprimunt Samaritani per קנום, ut Syri, *ſubſtantiam*; & per גרם, quod idem ſignificat ac Hebræum עצם, nimirùm *os*.

Pronomen relativum ד *qui, quæ, quod*, ut Chaldæis & Syris. Legitur interdum אשר Deut. 34. 10. & 12.

Pronomen interrogativum perſonæ מי, מן *Quis?* rei verò מה *Quid, quidnam?*

Eodem modo pronomen reciprocum exprimitur, quo apud Syros & Chaldæos, per affixa ו, ה, הון & הין.



CAPUT QUARTUM.

De Verbo perfecto.

CIRCA Verba conveniunt Samaritani cum Hebræis, Chaldæis & Syris.

Tres ſunt eis Conjugationes *Kal*, *Hiphil*, *Hithpael*.

Kal.

Præteritum.

Fœm.	Maſc.		
מסרת	מסר	3	Perſ. Sing. *Viſitavit.*
מסרת & תי	מסרת	2	
	מסרת & מסרתי	1	
מסרי	מסרו	3	Perſ. Plur.
מסרתין	מסרתון	2	
	מסרנן מסרן	1	

Benoni.

מסרה	מסר
מסרן	מסרין

Pehil.

מסירה	מסיר
מסירן	מסירין

Futurum.

3 Perf. Sing.	ימסר	תמסר	
2	תמסר	תמסרי	תמסרין
1	אמסר		
3 Perf. Plur.	ימסרון	תמסרן	ימסרן
2	תמסרון	תמסרן	
1	נמסר		

Imperativus.

מסר	מסרי
מסרו & ון	מסרנה מסרן

Infinitivus.

מסר ממסר מסור ממסור

Personæ præteriti formantur ope crementorum נן , תין , תון , י , ו , ת.

Duplex est crementum primæ personæ singularis. ת & rariùs תי. יהבת Gen. 41. 41. *dedi.* יהבתי Gen. 9. 13. idem. Item & pluralis. נן & rariùs ן. קטלנן Deut. 2. 33. *occidimus.* מללן Num. 21. 7. *locuti sumus.*

Duplex item crementum secundæ singularis fœmininæ. ת & תי. מה דה עבדתי Gen. 3. 13. *Quid hoc fecisti?*

Tertia pluralis fœminina in י. אמרי מילדאתה Exod. 1. 19. *Dixerunt obstetrices.* קרבי בנות וקאמי Num. 27. 1. & 2. *Accesserunt filiæ & steterunt.*

Nonnunquam ante crementa præteriti

inferuntur א aut ו. מסראת & מסרות *visitavi.* דבראתך Num. 33. 11. *adduxi te.* פקדאתך Deut. 12. 21. *præcepi tibi.* פקדות יתכון Deut. 31. 29. *præcepi vobis.*

Benoni sæpè assumit ו ante ultimam. שפוך Gen. 9. 6. *effundens*, pro שפך. הלוך Gen. 13. 5. *ambulans.* גאול Num. 35. 21. *vindicans.* פתוח רחם Exod. 13. 2. *aperiens vulvam.*

Interdum Benoni passivè sumitur. צלוב Deut. 21. 23. *suspensus.*

E contrario Pehil est interdum significationis activæ. נפיקין Gen. 24. 13. *egredientes.*

Augmenta futuri sunt יתאן, ut apud Hebræos, convenitque futuri formatio cum Chaldæis, non autem cum Syris. Augmentum enim tertiæ personæ non est נ sed י.

Sæpè futurum assumit ו ante ultimam. אשקול Gen. 6. 7. *delebo.*

Secunda & tertia numeri pluralis desinit non tantùm in ון, sed & in ו. יבטלו Gen. 8. 22. *cessabunt.* יהכו Exod. 32. 1. *ibunt.*

Tertia pluralis fœminina futuri incipit & per ת & per י.

Secunda pluralis masculina imperativi interdùm accipit ן. ביתון Gen. 19. 2. *pernoctate.* interdum non accipit. חוו, עלו, פנו Deut. 1. 7. & 8. *attendite, ascendite, videte.*

Secunda fœminina pluralis sæpè abjicit ה. שמען אציתין Gen. 4. 23. *Audite, auſcultate uxores Lamech.* וזעקן Exod. 2. 20. *vocate* fœm.

Infinitivis ut plurimùm præponitur ל. למסבל *ad portandum.* Sæpè additur ה paragogicum. למשקרה Num. 5. 6. *ad prævaricandum.* & interdum את. חרמאה Deut. 20. 17. *anathematizare.* למתאסאה Deut. 28. 27. *ad ſanandum.*

Cùm affixum jungitur infinitivo, illud ה mutatur in ת. למשמשאתה Deut. 10. 8. *ad ſerviendum ei.* למנסאתך Deut. 8. 2. *ad tentandum te.* במנוחתה Num. 10. 36. *cùm illa requieſceret.*

Hiphil.

אמסר	Præt.
ממסר	Ben.
ימסר	Fut.
אמסר	Imp.
ממסראה	Inf.

Characteriſtica conjugationis hujus א non rarò mutatur in ה. הפך Gen. 14. 18. *protulit.* הדכו והתלפו Gen. 35. 2. *purificate & mutate.*

Infinitivus deſinit non tantùm in את, ſed & in אֹת & in וֹת, præſertim cum affixis. למנסאתך Deut. 8. 2. *ad tentandum te.* לדכיותון Num. 8. 7. *ad purificandum illos.*

Conjugatio hæc nonnunquam significationis eſt paſſivæ. דאמשחו דאמשלמו Num. 3. 3. *qui uncti ſunt, qui conſecrati ſunt.* ואכנוש Gen. 49. 33. *& congregatus eſt.*

Hithpael.

אתמסר	Præt.
מתמסר	Ben.
יתמסר	Fut.
אתמסר	Imp.
אתמסרה מתמסרה	Inf.

Definit infinitivus & in ת, ות, את.

Nonnunquam activam habet ſignificationem hæc conjugatio. אתחמדו Num. 1. 4. *deſideraverunt.* אשתבע Gen. 21. 31. *juravit.* מי יתיהב Exod. 16. 3. *quis dabit?*

Illius characteriſtica את interdum mutatur in הת. התיול Gen. 17. 1. *ambula.* התהלכו Gen. 48. 15. *ambulaverunt.*

In verbis incipientibus ab unâ ex his quatuor litteris ז, ס, צ, ש eadem fit tranſpoſitio & mutatio quæ apud Hebræos. ישתפך Gen. 9. 6. *effundetur.* ישתלה Levit. 16. 21. *dimittetur.* מסתכלה Exod. 3. 6. *intueri.* יזדעק Gen. 17. 5. *vocabitur.* תצטערון Gen. 45. 5. *affligemini.* à צער.



CAPUT QUINTUM.

De Verbis defectivis & anomalis.

SAMARITANIS totidem sunt verborum defectivorum species quot Chaldæis & Syris, nec plures, nec pauciores, sequunturque eosdem ritus. Nihil est proinde cur in eis immoremur. Pauca tantùm notanda visa sunt circa verba anomala quæ sequuntur.

הוה *Fuit.*

In præterito & imperativo convenit cum defectivis. In futuro verò & infinitivo ab eis deflectit.

Futurum.

Fœm.	Masc.	
תיחי תהי	יהיה יהי ה	erit.
	תהית	eris.
	אחיה אהי אני	ero.
תהין	יהון יהונו יכנו	erunt.
	תהון	eritis.
	נהית	erimus.

Infinitivus.

הוו מחי esse.

אית *Est.*

Pro אית sæpè legitur את. אבן את יהוה באתרה דן Gen. 28. 16. *Profectò est Dominus in loco isto.* & nonnunquam ית. הן יתך Gen. 24. 42. *Si es tu.* הן יתכון Deut. 13. 3. *Si estis vos.* Constructio, ut patet, eadem quæ Chaldæis & Syris.

לית *Non est.*

חיה *Vixit.*

Pro חיה sæpè legitur האה. Hiphil & Hithpael eodem modo formantur, ac si radix esset יחה. אוחי *vivificavit.* אתוחי *vixit.*

נעת *Descendit.*

Idem est ac Chaldaïcum & Syrum נחת, ח cum ע, ut Samaritanis mos est, permutato. נעת Gen. 11. 5. *descendit.* איעת Gen. 37. 35. *descendam.* יאעת Exod. 19. 11. *descendet.* ינעת Num. 24. 19. idem. נת excluso ע. Exod. 19. 24. *descende.* נעת Deut. 9. 21. *descendens.* נעתים Gen. 28. 12. *descendentes.* מיעת Gen. 46. 3. *descendere.* Et ע in ח reverso אחחת Gen. 24. 18. *demisit.* האתעית Num. 10. 17. *depositum est.*

יהב *Dedit.*

יהב *dedit.* יהיב Lev. 10. 17. idem. אב Gen. 30. 26. *da.* אבו Gen. 34. 12. *date.* הוי pro הבי, ב in ו mutato, quod non est in-

solens, Gen. 30. 14. *da* fœm. Passivum interdum pro activo. מי יתיהב Exod. 16. 3. *Quis dabit?* pro מי יתן. Futurum enim sumit à verbo נתן.

מות *Mori.*

Benoni מתה Gen. 48. 21. *moriens.* מאתה Gen. 30. 1. *mortua.* Cætera sequuntur defectivorum regulas.

היך *Ire.*

Infinitivus למהכה Deut. 29. 18. *ad eundum.*

אזל *Ivit.*

Infinitivus מחואל Gen. 11. 31. *ire.*

אתה & אתא *Venit.*

Futurum ייתי Gen. 32. 8. *veniet.* ייתו Gen. 6. 20. *venient.* ניתי Gen. 37. 10. *veniemus.* אתי Gen. 32. 6. *veniens.* אתיכם Gen. 24. 63. *venientes.* איתי Gen. 37. 2. *attulit.* איתו Gen. 45. 17. *afferte.* במיתי *in veniendo.* מיתי Exod. 10. 4. *adducens.* מאיתי Deut. 8. 15. idem.





CAPUT SEXTUM.

De Affixis Verborum.

מסרני מסרי	visitavit me.
מסרנן	visitavit nos.
מסרך	visitavit te.
מסרכון כין	visitavit vos.
מסרה	visitavit eum & eam.
מסרמן .מסרוּן	visitavit eos.
מסרנן	visitavit eas.

Interdum inseritur littera ת ante affixa. קטלנתה Deut. 3. 3. *occidimus eum*, quasi קטלן יתה. קטלנתון Deut. 29. 7. *occidimus eos*, quasi קטלנן יתון.

Affixum ך cum futuris sibi adjungit נ. אעבדנך Gen. 12. 2. *faciam te.* אעורנך Gen. 28. 15. *reducam te.*





CAPUT SEPTIMUM.

De Dictione.

Adverbia.

אהן , איך	Ubi.
תמן	Ibi.
אן	Quò.
אכה , הכה	Huc, hîc.
מנאן , מנהן	Unde.
כדו	Nunc.
טטה , טטא	Tunc.
צפר	Manè,
רמש	Vesperè.
חורי , עורי	Ampliùs.
הכדה , אכדה , עגד	Adhuc.
ארתה , ארתא	Antequam.
כד	Postquam, cùm.
מד	Ex quo.
רב , שריר	Multùm.
עטף	Subitò.
לחוד , לעוד , לוד	Tantùm.
כות , כמה	Sicut.
דן , למה	Quare.



CAPUT SEXTUM.

De Affixis Verborum.

מסרני מסרי	visitavit me.
מסרנן	visitavit nos.
מסרך	visitavit te.
מסרכון כין	visitavit vos.
מסרה	visitavit eum & eam.
מסרמן. מסרהן	visitavit eos.
מסרנן	visitavit eas.

Interdum inseritur littera ת ante affixa. קטלנתה Deut. 3. 3. *occidimus eum*, quasi קטלן יתה. קטלנתון Deut. 29. 7. *occidimus eos*, quasi קטלנן יתון.

Affixum ך cum futuris sibi adjungit נ. אעבדנך Gen. 12. 2. *faciam te.* אעזרנך Gen. 28. 15. *reducam te.*





CAPUT SEPTIMUM.

De Dictione.

Adverbia.

אהן , איך	Ubi.
תמן	Ibi.
אן	Quò.
אכה , הכה	Huc, hîc.
מנאן , מנהן	Unde.
כדו	Nunc.
טטה , טטא	Tunc.
צפר	Manè,
רמש	Vesperè.
חורי , עורי	Ampliùs.
הכדה , אכדה , ענד	Adhuc.
ארתה , ארתא	Antequam.
כד	Postquam, cùm.
מד	Ex quo.
רב , שריר	Multùm.
עטף	Subitò.
לחוד , לעוד , לוד	Tantùm.
כות , כמה	Sicut.
דן , למה	Quare.

Præpositiones.

ב	In, per, cum, &c.
ל	Ad.
כ	Secundum.
מן, מ	A, ex, de &c.
אל	Ad.
עד	Usque.
על	Super.
עם	Cum.
אצל	Apud.
בין	Inter.
בתר, באתר	Post.
בדיל, בגלל, על דדי	Propter.
בלות	Præter.
לגו, לגב, ממצית	Intra.
מלבר	Extra.
לות, ליד	Ad, apud,
אחרי, חחרי	Post.
חליפת	Loco, vice, pro.
קבל, לקבל, לכבול	Adversùs, è regione.
להל, מלהל	Ulrra, procul.
קדם, לקדם, מקדם, קם	Ante, coram.
סער	Usque.
לסער	Propter.
בסער	Super.
מלעל	Supra.
מלרע	Infra.
כתי, מכתי	Sub, subter.

Conjunctiones.

ו	Et. Samaritani ו conversivum non habent.
אף	Etiam.
ה , א	An.
אלא , הלא	Sed.
אם , אן , עם	Si.
אלו , הלא אם	Nisi.
אם לית , אלית	Si non.
אל	Ne.
לא , לי , לית , אל , הלמי	Non.
כד	Quia.
ברם , ברן	Verùm.
דן , למה	Quare.
הל , הלא , הלה	Quia, nam.
חן , לבדיל	Ut.
עד דלה	Eo quod non.
במתי	Propterea.

ל non rarò pro לא. לתשלחון לתשפכון Gen. 37. 22. *ne mittatis, ne effundatis.* לתקטל Exod. 23. 7. *ne occidas.* לתסב Exod. 23. 8. *ne accipias.* לתמרי Exod. 23. 21. *ne rebelles.* ליוסף Exod. 8. 29. *non addat.* לדחלון Deut. 20. 3. *ne timeatis.*

Interjectiones.

הא , אח , הן	Ecce.
נא , ני , שבי , שוי	Quæso.

הלני, אל נא	Ne quæſo.
חס לך	Abſit à te.
לו, לוי, מי יתיהב	Utinam, quis dabit?

De Syntaxi nihil dicendum videtur, niſi quòd cum Hebraïcâ plurimùm conſentiat.

Finis Grammaticæ Samaritanæ.



INDEX CAPITUM

Grammaticæ Samaritanæ.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

MENDA EMENDATA
Tomo secundo.

In Grammaticâ Chaldaïcâ.

PAg. 5. l. 14. אישה lege אשה.
P. 13. l. 2. זכזת lege זכות.
P. 17. l. 11. להרכדה lege להובלה.
Ibid. l. penult. *perquàm*, lege *per quàm*.
P. 23. l. 3. ד׳׳׳י lege ד׳׳י.
P. 25. l. 13. אתר lege אתו
P. 82. l. 8. אנלוהי lege אנלוהי.
Ibid. l. 23. תודענני lege תהודענני.
P. 85. l. 8. בין , כן dele virgulam.

In Grammaticâ Syriacâ.

P. 141. l. 26. מלכוהי lege מלכיכין.
P. 176. l. 15. אסר lege אסו
P. 177. l. 21. וליא lege ולא.
P. 195. l. penult. את כתבו lege unâ voce אתכתבו.

In Grammaticâ Samaritanâ.

P. 209. l. 1. אורי. עורי lege אודי. עודי.

In Vindiciis.

P. ij l. 26. *Capello*, lege *Cappello*. Idem erratum aliis in locis emendandum.
P. v. l. 28. *discendi*, lege *dicendi*.
P. xx. l. 3. *recensior*, lege *recentior*.
P. xxv. l. 16. *C bbala*, lege *Cabbala*.
P. xxxiv. l. 18. *tmultis*, lege *multis*.
P. xl. l. 5. ἰελεδεθέιχ, lege ἰελεδεθέχ.

P. lxj. in titulo articuli, *mixionis*, lege *mixtionis*.
P. lxiv. l. 12. *Hammaphorasch*, lege *Hammephorasch*.
P. cxxxiij. l. 17. *praeceptis*, lege *receptis*.
P. cxlj. l. 2. post *nos* dele virgulam.
Ibid. l. 3 *punctatis*, lege *punctati*.
P. cxlvj. l. penult. *illam*, lege *illum*.
Ibid. l. ult. *genuinam*, lege *genuinum*.
P. cliij. in titulo articuli, *Solventur*, lege *Solvuntur*.
P. clxxvj. l. 13. *nihilomirus*, lege *nihilominus*.
P. clxxvij. l. 25. *Genebardicam*, lege *Genebrardicam*.
P. clxxxij l. 28. *eundem*, lege *eum*.
P. clxxxiij l. penult. *intelligere*, lege *intelligerent*.
P. ccvij. l. 7. post *consonantes*, adde *sine*.
P. ccxxvj. l. antepenult. post *Achille* dele virgulam.
P. ccxxvij. l. 1. *objectioum*, lege *objectionum*.
P. ccxlvj. l. 23. *etiam*, lege *enim*.
P. cclij l. 1. *ex. C.* lege *ex. c.*
P. ccliij l. 2. *Scriptura*, lege *scriptura*.
P. cclv, l. 21. post *etymologiis* dele punctum.



NOVÆ GRAMMATICÆ ARGUMENTA AC VINDICIÆ.

I.

Puncta vocalia multis post Christum sæculis inventa sunt.

PUNCTA vocalia ejusdem cum Hebraïcis characteribus antiquitatis esse soli, neque omnes quidem, Judæi credunt, & paucissimi quidam Christiani Scriptores, præsertim Confessionis Augustanæ.

Inter cæteros verò, qui punctis maximam tribuunt antiquitatem, hæc sub finem quinti sæculi prodiisse conten-

dunt, hoc est mille annis ex quo Lingua Hebraïca desierat esse vernacula. Et id quidem instituto nostro abundè sufficiebat.

Tamen aliis potiùs assentimur, qui statuunt nata fuisse puncta nono demùm vel decimo etiam sæculo. Quoniam autem Editione priori jejunè nimis atque exiliter eâ de re nonnullis dixisse videbamur, hîc punctorum & punctariæ Grammatices ætatem certis argumentis definiemus.

I I.

Puncta & punctaria Grammatice non sunt inventa nisi nono vel decimo Christi sæculo, hoc est, mille quadringentis aut quingentis annis postquam Hebraïcus sermo desierat esse vernaculus.

UT probetur hæc propositio, quædam exponenda sunt ad Historiam cùm linguæ Hebraïcæ tum Judaïcæ litteraturæ pertinentia. Nec pigebit lectorem ea legere paucarum pagellarum compendio quæ à doctissimis Hebraïzantium in primis J. Morino Oratorii Presbytero, & L. Capello Linguæ Sanctæ in Academiâ Salmuriensi Professore fusissimè tractata sunt & invictissimè demonstrata.

Etsi patrium sermonem Judaïca gens in Babyloniâ dedidicerat, non defuêre tamen inter reduces & aliquandiu post reditum quidam cæteris religiosiores & doctiores, qui Hebraïcè scirent & scriberent. Testes Esdræ, Nehemiæ, Malachiæ, Estheris, Paralipomenon (an & Regum?) scripti post Captivitatem libri. Mentio fit Nehemiæ 12. 22. Darii Persarum Regis, qui Codomanus esse existimatur, & Pontificis summi Jadduæ, à quo post expugnatam Tyrum Alexander Magnus Jerosolymis exceptus est. 1. Paral. 3. habetur genealogia posterorum Jechoniæ adeò prolixa, ut eam ad Alexandrum Magnum & ultra pertingere necesse sit. Additamenta sunt, inquies. Esto, sed Hebraïca. Ergo diù post reditum è Captivitate reperti sunt, qui Hebraïcè intelligerent & scriberent.
Refert in Ecclesiastici Prologo Jesus filius Sirach librum illum ab avo suo scriptum Hebraïcè; quod de Syro-Chaldaïco idiomate non potest intelligi. Obstat enim collatio quam Prologi Auctor instituit inter librum à se translatum, & cæteros ex Hebræo in Græcum translatos; quos omnes asserit in translationibus non parum deficere ab eâ quâ in ipso fonte pollent sig-

nificandi vi: *Hortor vos*, inquit, *veniam habere in illis in quibus videmur deficere in verborum compositione. Nam deficiunt Hebraïca quando fuerint translata ad alteram linguam. Non solùm autem hæc, sed & ipsa Lex & Prophetæ cæteraque aliorum librorum non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur*, id est, quando translatio cum Archetypo confertur. Testatur Præfatione in libros Salomonis Hieronymus, qui Hebræa potuit à Chaldaïcis aut Syriacis distinguere, librum illum à se repertum Hebraïcè: *Quem*, inquit, *Hebraïcum reperi.*

Scribebat autem Prologi Auctor, ut ipse testatur, *anno octavo & tricesimo Ptolomæi Evergetis*, huius nominis II. qui Physcon etiam nuncupabatur, id est, annis ante Æram Christianam paulò plus supra centum. Ergo avus translatoris scripserat primis Machabæorum temporibus, annis circiter 150. ante Christum, & ferè 480. post finem Captivitatis. Idipsum evincunt quæ dicit libri Auctor de persecutionibus quibus Judæi suo tempore premebantur, quæ sub præteritis Alexandri Magni successoribus nullæ fuerant.

Seriùs adhuc scriptus est primus Machabæorum liber. Ait tamen Hierony-

mus Prologo galeato confecto post versos à se omnes veteris Testamenti libros: *Machabæorum primum librum Hebraïcum reperi.* Nec oblivìscendum est, eum non siluisse, qui libri Chaldaïco sermone exarati essent, ut perspicuum est ex Præfationibus in Tobiam, Juditham & Danielem.

Inde non parum accrescit auctoritatis sacrorum librorum translationi Græcæ quæ τῶν LXX. dicitur. Cum enim facta fuerit, saltem quoad magnam partem, ante Machabæorum tempora, facta est eâ ætate quâ apud Judæos florebant, qui Hebraïcè scribere, multò magis vertere scirent Hebraïca.

Cæterùm deinceps longè rariores fuêre qui Hebraïcè optimè scirent. Si qui enim scire debuerunt, Philo profectò & Fl. Josephus. Atqui consentiunt ferè Critici utrumque idiomatis Hebraïci si non omnino rudem, certè non admodùm fuisse peritum. *Philo & Josephus*, inquit L. Capellus, defens. critic. sac. n. 14. p. 571. *Linguam Græcam percalluerunt; verùm in Hebraïcâ infantes planè fuerunt, si modò quid Hebraïcè scivisse discendi sunt.* Ita innumeri alii. Quid de eorum æqualibus sentiendum sit, facilis nec anceps ex utroque conjectura.

Nullus porrò liber Hebraïcè scriptus fuisse ostenditur per annos sexcentos & ampliùs, à primo scilicet Machabæorum libro usque ad *Mischnam*. Auctor Mischnæ *Judas* cognomine *Hacados* sive *Sanctus*. Is teste *Josuâ Levitâ*, libro הליכות עולם *Itinera æterna*, Judaïcas Traditiones ante hac vivâ tantùm voce transmitti solitas mandavit litteris & in unum corpus redegit. Nomen operi משנה seu משנה תורה *secunda lex*, Græcè δευτέρωσις.

Hæc collectio nondum extabat Augustini tempore. Sic enim loquitur lib. 2. contra adversarium Legis & Prophetarum, cap. 2. *Præter Scripturas legitimas & propheticas habent Judæi quasdam Traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quam* δευτέρωσιν *vocant.*

Volunt quidem Judæi Mischnam exeunte secundo Christi sæculo prodiisse. Falsò. Nam ex quo prodiit, ipsis fatentibus in omnium etiam puerorum manibus versabatur. Tamen Origenes, Epiphanius Judæus ipse, & Hieronymus curiosissimi Traditionum Judaïcarum indagatores de Mischnâ silent; Augustinus scriptam disertè negat.

Primus de Mischnæ libro mentionem facit Justinianus Novellâ 146. datâ anno 548. Conquestæ erant nonnullæ Synagogæ sibi à primoribus suis non permitti Scripturam Linguâ Græcâ publicè legere. Sancit Imperator id Judæis licere, & ulteriùs progressus, *Eam*, inquit, *quæ ab eis dicitur δευτέρωσις interdicimus omnimodò, utpotè sacris non conjunctam libris, neque desuper traditam de Prophetis, sed inventionem virorum ex solâ loquentium terrâ & divinum in ipsis habentium nihil.* Evaserat ergò tunc temporis Mischna in librum publicum, legebaturque in Synagogis. Sed affecto demùm sæculo quinto, vel etiam sexto ineunte, prodierat & publicè legi cœperat.

Primum Mischnæ caput in Synagogâ legendi prærogativa, velut honos eximius, tribuebatur viro totius Synagogæ præstantissimo, qui propterea ריש פרקים *Princeps capitum*, & voce Hybridâ è Græco & Hebræo efficta *Archipherecita* dicebatur: de quâ dignitate meminit ibidem Justinianus. Librum Hebraïsmo eleganti scriptum Rabbini Chaldaïcè vel Syriacè populis interpretabantur & commentariis illustrabant. Hinc utrumque *Thalmud*, Jerosolymitanum & Babylonicum;

spissum opus, quod undequaque collectum ex plurimis diversissimisque commentis Rabbinorum temporibus locisve longè dissitorum, completum esse non potuit nisi uno alterove post Mischnam sæculo.

Thalmud Jerosolymitanum conflatum est à Rabbi *Jochanan* Scholarum terræ Israëlis Rectore, juxta Judæorum nonnullos annis octoginta, juxta alios & veriùs, annis centum & ampliùs post Mischnam.

Thalmud Babylonicum omnium Judæorum consensu, ut asserit Morinus lib. 2. exercit. 6. cap. 4. Thalmude Jerosolymitano posterius est annis centum. Inchoatum est à R. *Ase* Scholarchâ Sorano, id est, Rectore Scholarum terræ Babylonicæ, quæ tempore illius Rabbini in urbe Sorâ præcipuè florebant. Longissimi operis circiter mediam partem confecit, idque annis septem. Eo mortuo circa annum Christi 634. ab opere cessatum docent Judæi per annos 73. propter bella Persica, & continuas Judæorum in Perside calamitates. Unde absolvi à R. *Jose* Scholæ Pumbedithanæ Præfecto non potuit nisi annis circiter 70. post devictam à Mahumetanis Persidem, id est, ineunte octavo Christi sæculo.

Plurimis

Plurimis aliis nec contemnendis argumentis id evincitur.

Primum ex eo desumitur quòd in utroque Thalmude usurpentur vocabula non ante septimum sæculum cognita. Talia sunt *Barbaria* pro eâ regione Africæ quæ nunc eo nomine nuncupatur. בורגן & בורגנין pro *Burgo* & *Burgensibus* &c.

Alterum petitur ex frequentibus ibi commemoratis Rabbinorum in Arabiam peregrinationibus. Nec enim videntur fieri potuisse ante conditum Mahumetanorum Imperium, deletos Persas, & avulsas Imperio Romano Palæstinam, Syriam & Ægyptum, ac proinde ante annum 650. Licuit sanè aliquanto post Mahumetis tempora, sive doctrinæ, sive commercii causâ, suscipere iter in Arabiam florentissimi Imperii sedem & Provinciarum Orientalium caput. Sed nulla antehac causa adeundi, multæ fugiendi Arabas, barbaros, illiteratos, ne scribere quidem gnaros, nullius cum vicinis societatis, rapto viventes, omnium egenos, omnibus infestos.

Consentiunt Scriptores Judæi statim post Thalmudis promulgationem varia prodiisse illius commentaria. R. *Simeon Kejara*, teste *Abrahamo Levitâ* Judæorum Historicorum post *Seriram* anti-

quissimo scripsit librum *Magnarum decisionum* הלכות גדלות anno Christi 741. Post Kejaram R. *Jehuda cæcus* composuit *Decisiones parvas*, הלכות פסקות quas ex Decisionibus magnis collegerat: obiitque eodem teste, anno Christi 763.

Nihil sunt aliud illi libri quàm variæ quæstiones juxta placita Thalmudica decisæ; ubique Thalmudica effata pro oraculis venditantur. Nam, ut inquit Buxtorfius Bibliothecâ Rabbinicâ, ad librum הלכות גדלות, *erant prisci illi Doctores ad annum usque Christi millesimum, tantùm in Thalmudicis occupati, de Bibliis illustrandis parùm solliciti.*

Doluit tandem Judæorum nonnullis cœca popularium suorum superstitio traditiones humanas verbo Dei non æquiparantium modò, sed etiam præferentium. Itaque contra torrentem brachia direxerunt ducibus *Anano* & *Saüle* ejus filio è regio, ut aiunt, sanguine, & doctrinâ insignibus. Hos qui secuti sunt קראים quasi *Scripturarii*, quia solis scripturis credere se profitebantur, appellati. Cæteris eo quòd Rabbinorum traditionibus mordicus adhærerent Rabbanistarum nomen inditum. Karaïtæ circa annum 740. exorti sunt.

Constabilitâ Thalmudis epochâ, nec inutile, nec injucundum erit pauca dicere de celebrioribus Judæorum libris, quorum antiquitatem Christiani etiam nonnulli mirum in modum exaggerant. Statim enim atque ostenderimus fere omnes esse Thalmude posteriores, plerosque Grammaticâ punctisque Massorethicis anteriores, Grammaticæ punctorumque ætas se se commonstrabit.

Exceptis Philone & Josepho, qui Græcè scripserunt, & Chaldaïcis Paraphrasibus Onkelosi in Legem & Jonathanis in Prophetas, quarum, saltem prioris, veneranda, licet aliter Morino videatur, antiquitas est, iis inquam exceptis & Mischnâ, nullus proferri potest scriptus à Judæo liber, quem constet esse Thalmude vetustiorem.

Liber eorum Historicus antiquissimus est *Seder Olam Rabba.* סדר עולם רבא *Ordo mundi magnus*. Scriptum Judæi narrant circa annum 140. Auctor historiam suam cum Esdrâ, Nehemiâ, Malachiâ aliisque Prophetis absolvit, nihil addens præter unam aut alteram paginam ex Thalmudistarum deliriis & computis miserè consarcinatam.

Liber *Seder Olam Zutha* סדר עולם זוטא

Ordo mundi parvus, fatentibus Judæis, Thalmude posterior, suam ætatem ipse prodit, dum ab excidio Templi annos 1053. numerat. Inde enim sequitur fabricatum fuisse anno Christi 1124.

Testatur Josephus lib. 20. Antiquit. cap. ultimo, Judæos fuisse semper linguarum & historiarum externarum incuriosos. Ejusdem moris fuerunt ad annum usque Christi millesimum; cùm ad id tempus usque nulla fuerit apud eos Josephi Historicorum gentis suæ Principis cura aut cognitio. Circumfertur sanè *Josippi Ben Gorionis* Historiarum liber Hebraïcè scriptus. At de putido illo Josephi interpolatore, primus omnium meminit Abraham Levita Ben David, qui scribebat anno 1160. Deinde scatet liber innumeris anachronismis, fœdissimis fabulis & barbaris vocibus, quæ nonnisi multis post Fl. Josephum sæculis usurpatæ sunt. Non extitisse ante annum 100. vel inde patet quòd fluvium *Ligerim* vocet לירא Gallicè *Lére*, uti sub primis Regibus Capetianis vocabatur, *Sequanam* verò fluvium *Senæ*, נהר סינא.

Post insulsos illos Historiæ Scriptores, nullus Abrahamo Levitâ Ben David, seu ut alii volunt, Ben Dior בן דאור, Auctore *Cabbalæ*, refertur an-

tiquior. Is breviſſimam ſuæ Gentis hiſtoriam texit ab orbe condito ad annum 1161. quo ſcribebat.

Reperitur unius aut alterius folii fragmentum hiſtoricum, linguâ Chaldæo-Thalmudicâ valde impurâ ſcriptum à R. *Serirâ*, qui Academiarum Babylonicarum obiit Rector & Gentis ſuæ Princeps anno Chriſti 967. prope ducentis antequam Abrahamus Levita ſcriberet annis. At quantulum eſt fragmentum illud, cujus etiam duo trientes integri hoc unum docent quâ diligentiâ ſit Miſchnæ & Thalmudis ſtudio incumbendum? Tertia pars enarrat tranſlationem Scholarum à Jeroſolymitanâ Provinciâ in Provinciam Babylonicam, & Principum è ſtirpe Davidicâ inſtitutionem. Quæ ante Thalmudis obſignationem geſta ſunt, è ſolo Thalmude Scriptor elicit. Quæ ſubſecuta uſque ad ſuum ἐνθρόνισμον, è memoriæ ſuæ penu depromit. Unde colligas nullos tum extitiſſe Hiſtoricos. Qui ſi fuiſſent, Principem Gentis & Academiarum omnium Rectorem minimè latuiſſent.

Memorati Auctores circa numeros annorum non conſentiunt. Non alios tamen habent Judæi poſteriores, quos in hiſtoriâ ſequantur. Hinc magnum inter

ipsos de cujusque Scriptoris ætate dissidium.

De Scholis Babylonicis obiter observandum, eas floruisse in urbibus *Sorâ*, *Nahardeâ* & *Pumbedithâ*. Earum Doctores *Gheonim* seu *Ghaonim* vocabantur. Celebris est inter eos *Saadias* factus anno 927. Soranæ Academiæ Rector, Grammaticorum primus, & auctor Translationis Arabicæ Pentateuchi in Bibliis Polyglottis Parisiensibus & Londinensibus editæ. Circa annum 1040. à Persarum Mahumetanis Regibus eversæ sunt cum omnibus Judæorum urbibus illæ Academiæ. Doctorum & populi magna pars in Europam & præsertim in Hispaniam se recepit. Hinc magnus inter Europæos Judæorum Doctorum numerus, cùm antea nulli essent, nec post illud tempus ullus in Babyloniâ fuisse memoretur.

Redeamus ad censuram librorum qui apud Judæos antiqui jactantur.

Præter antiquissimas Onkelosi in Legem & Jonathanis in Prophetas Paraphrases, extant etiam Paraphrases aliæ Chaldaïcæ, nimirum ea quæ dicitur Jonathanis in Legem, Targum Jerosolymitanum in Legem, & Targum sine Auctoris nomine in כתובים, hoc est, *Hagiographa*. Sed tres illæ Paraphrases,

etiam illa quæ Jonathani tribuitur, novitatem omnino sapiunt partim ob styli barbariem, partim ob ineptias Thalmudicas, licet dubitari vix possit illis Paraphrasibus assutas esse vetustiorum earumque melioris notæ interpretationum lacinias. Idem esto judicium de libris qui dicuntur *Medraschim* מדרשים, id est, *Sermones* seu *Commentarii Mystici* in Legem & alios quosdam Scripturæ libros.

Horum qui antiquissimus habetur dictus מכילתא, scriptus à Rabbi *Ismaële* in Exodum & sequentes Moysis libros, præterquam quòd fabellis Thalmudicis oppletus est, Thalmudis expressè mentionem facit, adhibetque vocabula nonnisi sæculis 7. aut 8. cognita.

Similibus indiciis ætatem suam produnt quinque commentarii dicti *Rabboth*, *Magni* in quinque legis libros, *Beresfith Rabba*, *Schemoth Rabba* & sic de cæteris. R. *Bar Nachman* Scholæ Pumbedithanæ Præfectus eorum Auctor, nec non alterius *Midrasch magni* in quinque *Meghilloth*, מגלות *volumina*, id est, in Ruth, Esther, Canticum, Ecclesiasten, & Threnos. Scriptor meminit librorum הלכות seu *Decisionum*, de quibus suprà, nonnisi octavo sæculo scriptorum, Judæis non inficiantibus.

Unius aut alterius folii libellus insulsus simul & obscurissimus dictus *Jetsira* יצירה, id est, *Creatio*, Abrahamo Patriarchæ ab aliquibus Judæis tribuitur, ab aliis Rabbi *Akibæ*. At longè recentior est. Celebris fuit decimo sæculo. De eo mentionem faciunt Saadias Ghaon, & Auctor libri *Cozri*. Neutrius tamen est. Omnino verisimile libelli Scriptorem vixisse cum primis Massorethis, qui Textûs sacri dictiones & litteras tantùm considerarunt, & dictionum inter se conjunctionem, quoties in sacro Textu contingat, numerarunt. In eâdem enim palæstrâ se exercet. At de punctis ne verbulum quidem, licet de eis differendi capite secundo occasionem habuerit, litterasque in partes omnes sus deque vertat.

Alius est libellus dictus *Pirke Avoth* פרקי אבות, *Capitula Patrum*, *Nathani* Babylonio tributus, qui vivebat ante Judam Hacados Auctorem Mischnæ: sed immeritò. Legitur enim in fine capitis quinti. *Filius quinque annorum in Scripturæ lectione instituendus. Filius decem annorum in Mischnâ. Filius tredecim annorum in præceptis. Filius quindecim annorum in Thalmude. Filius octodecim annorum ad thalamum nuptialem.* Citat insuper cap. 3. plures Tractatus Thalmudi-

eos, & passim traditiones & fabellas refert non ex aliis fontibus haustas.

Liber dictus *Capitula Eliezer*, פרקי אליעזר, scriptus perhibetur ante Templi excidium, sed perperam. De imperio enim Arabum ut florentissimo loquitur cap. 28. Bis Mischnæ meminit cap. 46. Ait cap. 13. serpentem qui tentavit Adamum habuisse formam cameli, & super eum equitasseDiabolum. Innumera prope ejuscemodi non obstant quin ab *Isaaco Abravanel* divinus vocetur.

His præmissis non difficile erit definire quo sæculo puncta Massorethica prodierint.

Nulla eorum mentio apud Origenem, Epiphanium, Hieronymum. Nulla in Mischnâ, & Thalmude. Nulla in antiquis Medraschim & aliis mox commemoratis libris Thalmude valde posterioribus, quamvis innumeræ & præsentissimæ occurrant occasiones de eis disserendi.

Quid inde sequatur non arduum est colligere. Sed ut pressiùs demonstretur quo tempore nata sint puncta, nonnulla adjicienda sunt.

Dubium non est quin à Machabæorum temporibus Judæi multam in describendis Libris sacris navaverint diligentiam. Hinc factum est ut non pau-

cæ legantur ab eis peractæ istorum sive castigationes, sive recensiones.

De primâ quæ dicitur עיטור סופרים *Ablatio Scribarum*, mentio fit in Thalmude Tractatu *Nedarim*. Quinque tantummodo scripturæ dictiones spectat, quarum tres in Lege, & duæ in Psalmis.

Fit ibidem mentio de secundâ, quæ est quarumdam dictionum quæ leguntur & non scribuntur, & vice versâ. כתיב ולא קרי . קרי ולא כתיב. Differunt illæ ab eis quæ magno postea numero à primis Massorethis in Bibliorum marginibus notatæ sunt, & dicuntur simpliciter קרי.

Tertiam, quæ תקון סופרים *Correctio Scribarum* dicitur, commemorant plures antiqui Medraschim. Spectat ea viginti circiter dictiones hinc & inde sparsas.

Quartæ mentionem facit Tractatus *Sopherim*, cùm plurima loca referens, in quibus non consentiebant codices manuscripti, ait lectionem illam fuisse electam, quæ pluribus manuscriptis fulciebatur.

In his omnibus recensionibus de punctis nihil. Si quis tamen de punctis unquam differendi locum habuit, Auctor certè libri *Sopherim*. Anxiè enim expo-

nit quomodo describi debeant libri Legis; quo in pergameno, quomodo præparato, ex quibus bestiis confecto; à quibus describi oporteat; quid spatii inter lineas, quid inter litteras relinquendum; quot litteræ in lineâ, quot lineæ in paginâ; quo spatio libri ab invicem distinguendi; quæ malè scripta eradi, quæ non eradi possint citra libri profanationem; quæ dictiones in duas dividi debeant, quæ divisæ in unam conjungi, quæ scribantur cum unâ litterâ & legantur cum aliâ, quæ sine certâ litterâ & tamen cum eâ legantur; quæ litteræ scribi debeant majusculæ, minusculæ, suspensæ, inversæ &c. quæ dictiones supernotari; quæ scribi & non legi; quæ non scribi & legi; quæ aliter scribi & aliter legi &c. Prodigio simile est, quòd homo tam diligens de punctis ne verbum quidem fecerit, si, dum viveret, sacri Codices enm punctis scriberentur. Atqui Thalmude multo posterior est, tum quia de eâ farragine, tam magnificè loquitur, ut nemo magis: *Similis est aquis Scriptura*, inquit cap. 15. *Mischna vino*, *Thalmud condito*, tum quia minoris est apud Judæos auctoritatis Tractatus iste quàm cæteri Thalmudici.

Quinta recensio multò celebrior est,

nec Thalmude tantùm, & omnibus *Medraschim*, sed Tractatu *Sopherim* haud dubiè recensior, cùm de eâ illiusque observationibus sileat Tractatus iste, quanquam nihil magis ad propositum pertineret. Extat insigne recensionis istius monumentum in fine quorumdam Bibliorum, & in Joannis Drusii libello de rectâ lectione Linguæ sanctæ, cap. 50. pag. 106. continetque ducentas & sedecim varias lectiones, quarum nulla in Lege. Catalogo variarum lectionum hic est titulus: *Differentia lectionis inter filios terræ Israëlis, & filios Babel*, id est, inter Occidentales Judæos & Orientales. Demonstrat autem titulus recensionem illam duplicem fuisse, priorem factam à Judæis Occidentalibus, ab Orientalibus posteriorem.

Occidentales scilicet Judæi, hoc est, in Palæstinâ degentes, Textum post quatuor recensiones jam memoratas recensuerant & Codices inter se contulerant; varias lectiones, nec non conjecturas memoratu dignas, dictiones etiam quoties plenæ essent & defectivæ adnotarant, litterasque numerarant.

Ista recensio cùm in Babyloniorum Judæorum manus devenisset, ab eis revisa est, & cum suis Codicibus com-

parata. Itaque ducenta & sedecim loca notarunt, in quibus optimi eorum Codices ab Occidentalium Codicibus differebant. Non ideo tamen Palæstini cessère Babyloniis, suam utraque pars emendationem secuta est. Solummodo scribere solent Occidentales in Bibliis suis ad marginem, *Ita legunt Orientales.*

Atqui in toto illo catalogo nusquam punctorum vocalium mentio, nec ullum quidem vestigium. Bis tantùm occurrit, nempe Jerem. 6. 6. & Amos 2. 6. Nescio quod punctum dictum Mappic, quod à punctis vocalibus, de quibus solis hîc agitur, longè diversum est. Est enim juxta Buxtorfium Thes. Grammat. cap. 3. *punctum quod litteris ה & י inscriptum, docet eas esse pronunciandas, quæ sine eo quiescerent*, id est, nullum sonum ederent. *Fit hoc in litterâ ה in fine dictionis.*

Varietatum, inquit Elias Levita Præfatione tertiâ in librum Massoreth, *& differentiarum quæ sunt inter Orientales & Occidentales non est vel una in punctis & accentibus, sed in dictionibus & in litteris, in iis quæ aliter scribuntur quàm leguntur, in plenis & defectivis, non autem in punctis & accentibus. Quod argumentum est varietates illas scriptas esse antequam*

puncta & accentus inventi essent & inscripti.

Sumendi nunc calculi, & computandum quo saltem sæculo facta fuerit illa Orientalium recensio.

Facta est post completum Thalmud, quod nonnisi circa annum 700. completum & promulgatum esse potuit.

Facta est post antiquos Medraschim, quorum nonnulli, ut minimùm, sunt annis quinquaginta Thalmude posteriores.

Facta est post Tractatum *Sopherim*, qui cùm sit antiquis Medraschim posterior, non potest collocari ante annum 760. aut etiam 770.

Facta est post recensionem in Palæstinâ peractam, quæ cùm sit Tractatu *Sopherim* posterior, publicari non potuit nisi sub finem octavi sæculi.

Aliquot autem annis opus fuit ut Occidentalium recensio & in Babyloniam perveniret, & Doctorum illic degentium animos subiret ejus castigandæ desiderium, &, quod summa rei est, ut opus tam arduum perficeretur. Ergo recensio illa Babylonica non potuit absolvi nisi exacto octavo Christi sæculo & aliquanto post noni initium, nec dum ullus apud Judæos erat punctorum vocalium usus,

Post sextam verò recensionem, quæ sub nomine Rabbi *Aser* pro Occidentalibus, & Rabbi *Nephtali* pro Orientalibus circumfertur, nota erant puncta vocalia, noti accentus, (saltem quoad partem aliquam) cùm circa puncta & accentus tota illa recensio occupetur.

Recensuerat ergo Rabbi Aser quomodo singulæ sacri Textûs voces erant pronunciandæ & punctandæ; diligenterque asservabatur Codex illius Jerosolymis, tanquam cæterorum postea describendorum aut corrigendorum norma. Testem habemus *Maimonidem* qui de eo Codice sic loquitur, *Tractatu de libro Legis*, cap. 8. *Cùm viderem*, inquit, *confusionem magnam in omnibus Codicibus quos videre mihi contigit, visum est mihi hîc annotare omnes . . . . . ut inde emendentur & castigatè describantur in posterum Codices omnes. Codex autem quem in hâc re secuti sumus, liber est ille in Ægypto notissimus complectens omnes viginti quatuor libros, qui jam ab aliquot annis prostat in Jerusalem, ut ex eo libri corrigerentur: & huic omnes innituntur eo quòd eum correxit Ben Aser, & multis annis eum accuratè consideravit & multoties emendavit. Super eum autem innixus sum in libro Legis quem secundùm morem, juxta*

ejus præscriptum descripsi. Idem testatur *Elias Levita in tabulis abbreviationum*, pag. 78.

Rabbi Nephtali opus Rabbi Aser incudi suæ reddidit, denuoque castigavit, edito catalogo dictionum quæ aliter ab Orientalibus & aliter ab Occidentalibus punctabantur. Porrò quia in quintâ recensione annotatæ fuerant à Babyloniis differentiæ omnes circa litteras & dictiones, sexta recensio circa puncta & accentus unicè versatur.

Atqui vivebant R. Aser & R. Nephtali juxta nonnullos undecimo sæculo, juxta alios circa annum 940. (utri rectius sentiant, judicent chronologiæ Rabbinicæ peritiores.) Uterque eo tempore sodalitii sui dux & caput.

Ergo nata sunt puncta eo intervallo quod fuit post annum 800. quo probavimus nata nondum fuisse, usque ad annum 900. vel etiam 1000. Nata enim oportuit antequam in Judæâ & postea Babylone examinaretur num rite collocata essent necne. Et hoc est quòd harum vindiciarum initio posuimus nata ea non esse ante sæculum nonum aut decimum, mille scilicet quingentis annis circiter ex quo Lingua Hebraïca desierat esse vernacula.

Frustra objiceretur mentionem punc-

torum fieri in libro *Zohar*. Est quidem ille liber celebris ab annis quadringentis, sed antea ne nomine quidem notus. Commentarius est Cabbalisticus cæteris Thalmudicorum Commentariis multò insanior, in quo Textuum Scripturæ litteras variè copulando, nova Alphabetha conficiendo, finem principio, principium fine, medio utrumque permutando eruuntur innumeri sensus ab Auctoribus Cabbalisticis dicti *Arcana Legis*, סתרי תורה. Scriptus est Linguâ Chaldaïcâ, auctore, ut perhibent *Simone* filio *Jochai*, de quo frequens mentio in Thalmude. At ait *Ghedalias* in *Catenâ Cabbalæ*, *figmentum esse Rabbini Mosis de Leon, qui, ut ampliorem mercedem acciperet, inscripsit ei nomen Simonis Ben Jochai. Id autem illum fecisse, quia pauper erat, multisque afflictionibus pressus.* Vivebat ille Moses sub finem decimi tertii sæculi. Addit Ghedalias ibidem: *Si integer reperiretur iste liber, tantæ esset quantitatis, ut eum Camelus vix ferre posset.* Ignotus fuit omnibus ante annum 1290. iis etiam qui Auctorum Cabbalisticorum catalogos texuerunt, similesque nænias summâ curâ exquisierunt. Quæ de punctis philosophatur, punctorum antiquitati officiunt, nedum faveant. De eis enim

loquitur, non ut priores Massorethæ, sed ut Grammatici qui sæculis 12. & 13. floruerunt. Testatur Elias Levita Massorethas usos esse nominibus *Camets* & *Pathach* duntaxat, cæterisque punctis nomina non imposuisse. At nugivendulus Zoharis consarcinator non tantùm de *Kamets* & *Pathach* differit, sed de *Cholem*, de *Kirik*, de *Schurek*, de *Seghol*, de *Tsere*, de *Scheva*, certissimum argumentum impostorem illum nonnisi post sæculum undecimum fabellas suas propalasse. Consuli etiam potest Buxtorfius in *Abbreviaturis*, abbreviaturâ רשבי.

Proximum vero est Tiberiade factam esse quintam & sextam sacrorum Librorum recensionem. Ita sentiunt Judæorum doctissimi. *Vidi libros*, inquit *Aben Esra* Comment. in Exod. cap. 25. v. 31. *quos examinaverunt sapientes Tiberiadis, & de quibus juraverunt quindecim ex senibus eorum, quòd tribus vicibus diligenter consideraverant omnem dictionem, omnem punctationem & unamquamque vocem plenam & defectivam.* Et in libro צחות *Elegantiarum*, cap. de *Pathach* minore seu *Seghol*; verba faciens de quâdam punctatione extraordinariâ caussam illius tandem sic reddit. *Talis est consuetudo sapientum Tiberiæ. Illi enim*

funt principium & fundamentum. Nam ex iis erant Masforethæ, & nos ab iis omnem accepimus punctationem.

Idcirco cum Eliâ Levitâ & præstantioribus Judæis duplices distinguendi sunt Massorethæ Tiberienses. Priores qui Textum sacrum quoad litteras, nullâ punctorum factâ mentione, utpote nondum existentium, recensuerunt. Posteriores qui Textui puncta à se excogitata inscripserunt, inscriptaque recensuerunt. Utrosque Thalmude posteriores constat ex dictis, & disertè tradit *Aben Esra* initio libri *Moznaim* מאזנים *Bilances. Synagogæ magnæ viros*, inquit, *Doctores Misnicos & Thalmudicos secutæ sunt duæ aliæ societates. Prior est custodientium muros Sanctuarii. Viri istius classis sunt viri Massorethæ qui separaverunt omnem mixturam à sancto.* En priores Massorethæ, qui voces & litteras & varias lectiones circa voces & litteras recensuerunt. *Posterior classis Grammaticorum est, qui docti sunt generationes punctorum* &c. En Massorethæ posteriores, qui punctationem invenerunt, quosque Grammaticis accenset Aben Esra eâ certè de causâ, quòd eodem fere tempore punctatio, Grammaticaque inventæ sint.

Nec refragantur quidam è Judæis

doctissimi, dum utrorumque Massoretharum studium notasque criticas audent contemnere; quod nefas crederent, si eos Thalmudicis Scriptoribus coævos existimarent. *Videbam*, inquit Rabbi *Jacob Ben Chaim* Afer, qui Massoram recensuit, *multos è collegiis Sapientum nostrorum qui hodie & sæculo nostro nobiscum versantur nihil æstimare in corde suo Massoram, nec ullum ex præceptis & regulis ejus, ita ut parum abfuerit quin periret. Verba Massoræ*, inquit Elias Levita Præfat. 2. in Massoram, *abscondita sunt ab hominibus istorum sæculorum, erantque in oculis omnium velut somnium cui non est interpres, & in quo non est ulla utilitas. Magna pars Sapientum quos vidi, vituperat hoc studium*, inquit *Ephodæus* Præfatione in Grammaticam quam inscripsit מעשה אפוד, unde nomen *Ephodæi* sortitus est: proprium enim nomen ejus erat Rabbi *Parfait Durant*.

Audiendus & celeberrimus Aben Esra libro יסוד מורא *Nonnulli sunt ex doctis quorum omnis scientia versatur in cognitione Maßoræ, & signorum ejus, Keri & Ketib, dictionum deficientium & abundantium, numeri versuum, dictionum & litterarum. Similes sunt ei qui manu suâ tenet librum medicinæ, & defatigat se in numerando quot sunt paginæ in libro, quot li-*

neæ in unâquaque paginâ, & ex universo isto labore non sanatur ullum vulnus. Et Præfatione Commentariorum in Legem. *Mentionem non faciam rationum virorum Massoreth, quare hæc dictio plena est, & quare hæc deficit; quia rationes eorum sunt allegoricæ; scriptor enim unâ vice scribit dictionem plenam, ut clariorem sensum efficiat. Aliâ vice eam litterâ latente minuit, scriptionis sectans compendium. Massorethárum autem rationes pueris tantùm bonæ sunt.* En quanti fecerit Massorethárum hâc in re diligentiam.

Hucusque de punctorum ætate. Addendum non fuisse omnia simul ac eodem tempore inventa. *Massorethæ veteres*, inquit D. Guarinus Grammaticæ Hebraïcæ tom. 1. pag. 18. *duas tantùm motiones nominant:* Qamets *sub quo* Tsere *comprehendunt, &* Pathahh *quo nomine etiam* Seghol *nuncupant. Aben Esra qui medio duodecimo sæculo florebat, septem duntaxat motiones memorat, nimirum* Qamets, Tsere, Hholem, Schoureq, Pathahh, Hhiriq & Seghol, *quarum Massorethas Tiberienses auctores agnoscit. Posteriores itaque Rabbini cæteras addiderunt.* Nota Lector hoc D. Guarini assertum, simulque motiones quas à posterioribus Rabbinis additas fatetur, non esse parvo numero, cùm quatuordecim ab ipso numerentur.

Punctis inventis inventa est Grammatica Hebraïca, antea prorsus ignota. Si enim anterioribus sæculis viguisset, de eâ procul dubio variisque illius terminis locuti fuissent Origenes, Epiphanius, Hieronymus, Misnici & Thalmudici Doctores, Scriptores antiquorum Medraschim & similes. Atqui apud eos omnes Grammaticæ & Grammaticorum terminorum, qui prope infiniti sunt, nullum vestigium. Deinde evidens est Grammaticam Massorethicam, cùm fere tota punctis innitatur, ante ipsa puncta cudi non potuisse. *Grammaticam Hebræam*, inquit Elias Levita Præfatione in Grammaticam Chaldaïcam, *composuit Rabbi Juda Chiug Fessanus, primus Grammaticus. Ante eum enim nulla fuit omnino Linguæ sanctæ Grammatica.* Id ipsum agnoscunt Rabbi Abraham Levita in *Cabbalâ*, Aben Esra, *David Kimhi*, Buxtorfius in Præfat. *Tiberiadis* & alii multi. Scribebat Rabbi Juda annis centum duntaxat ante Aben Esram, qui mortuus est anno 1174. annos natus 75. & scribebat Commentarium suum in Exodum, ubi Judam Chiug Grammaticorum primum vocat, anno 1153.

Cæterùm ab his Scriptoribus R. Judas Chiug Grammaticorum primus di-

citur, non quòd omnium omnino primus de Grammaticâ Hebraïcâ scripserit, sed quòd de eâ, tam ex suis, quàm ex aliorum observationibus, primus methodicè scripserit, eamque in artem deduxerit, & absolverit.

Enimvero Aben Esra qui Grammaticorum primum illum nominat, initio libri *Mozenaim* sex alios ante illum numerat, quorum primus est Saadias Ghaon, cui tribuit tres de re Grammaticâ libros. Est ergo Saadias Ghaon, de quo supra, Grammaticorum Hebræorum primus absolutè, cùmque obierit anno 942. colligere est punctarum vocalium inventionem paucis duntaxat annis Grammaticæ Massorethicæ præivisse.

Demonstrat Morinus Massorethas ad Arabum imitationem punctationem Grammaticamque efformasse. Novitatis utriusque aliud argumentum. Arabes enim serò admodum scripturâ uti cœpêre, nec nisi paulò ante Mahumetem. Confirmat Pocockius in notis ad Gregorium Abulfaraïum pag. 153. ex celebrioribus Arabum Historicis, præsertim *Ebn Chalican*, qui refert neminem repertum in universâ regione *Yemen* cùm Alcoranus evulgari cœpit, qui Arabicè legere vel scribere posset.

Mahumetem neutrum sciviſſe unanimi consensu tradunt Historici.

Cùm ergo tanta esset in illâ Gente legendi imperitia, eorumque scriptura, sicut Hebraïca, quasdam vocales rarò exprimeret, brevi post promulgatum Alcoranum exortæ sunt dissensiones plurimæ de quarumdam dictionum valore; quibus nisi maturè provisum fuisset, detrimentum non leve accepisset eorum Religio. *Ante inventa puncta vocalia ab Ali Abnaditalebo*, inquit Abraham Ekellensis Maronita annotationibus ad catalogum librorum Syrorum Hebed Jesu pag. 227. *tanta erat legentium dissensio, ut, nisi auctoritate Othmani coërcita fuisset, & determinata lectio punctis quæ Ali excogitaverat, jam de Alcorano actum esset.* Othman ille quartus est Arabum Imperator. Facta est illa Arabica punctatio ante annum Christi 656. Imperfecta admodum erat, complectebaturque tria duntaxat puncta, *Phata*, *Damma*, *Kesra*, A. E. I. Cæteræ Grammaticationes à posterioribus excogitatæ.

Similiter tria tantùm adhibita puncta ab antiquioribus Judæorum Grammaticis, qui inter Arabas vivebant, & Arabicè scribebant. *Pathach* ex Arabum *Phata*, פתח Hebræis, Chaldæis, Syris

Syris & Arabibus sonat *adaperire, dilatare.* Vocalis *a* eo nomine designatur, quia, ut notavit Aben Esra initio libri צחות, oris dilatatione pronunciatur. *Damma* Arabibus sonans *o* vel *u collectionem* significat. Ita quoque *Camets* Hebræis, Chaldæis & Samaritanis *collectio* & *contractio est.* Per contractionem enim oris vocalem istam esse pronunciandam scribit idem Aben Esra ibidem. Tertium Arabum punctum est *Kesra*, quod apud eos nota est vocalium *i* & *e.* Vocem illam interpretantur Maronitæ Arabes *fractionem*, & proinde idem est ac שבר, quo Massorethæ antiquiores usi sunt, ut *Kirek* & *Tsere*, id est, vocales *i* & *e* designarent. Idipsum testatur Aben Esra de puncto *Kirek* verba faciens: *Sapientes linguæ Arabicæ,* inquit, *illud appellarunt* שבר *scheber, fractionem.* Assentitur ipse Buxtorfius tractatu de antiquitate punctorum adversus L. Capellum p. 190. & probat auctoritate libri Cozar. *Cozar*, inquit, *vocat Hirec Schever magnum, & Tsere Schever parvum.* Quis non videt omnem istam punctationem nominibus Arabicis in Chaldaïca translatis ab Arabibus esse derivatam? Cum autem animadverterent Judæorum Grammatici tres istas vocales pronunciatio-

ni exprimendæ non sufficere, alias invenère, quibus posteri nomina indiderunt.

Longè plura ab Arabibus mutuati sunt, ut *Scheva*, quod idem præstat ac Arabum *Giezma*; *Daghess*, quod ab illorum *Tesdid* diversum non est: istud similiter axioma, sex litteras duplici modo esse pronunciandas; morem puncta vocalia *Motiones* תנועות appellandi, Grammaticam in tres partes dividendi, *Nomen*, *Verbum*, *Dictionem*, tres cujusque verbi radicales designandi per litteras פ, ע, ל, à verbo פעל, &c. sed de his plus satis. Licet autem aliquot sæculis citiùs puncta emersissent, sufficeret instituto nostro, quòd nata sint tmultis post Hebraïci sermonis occasum ætatibus.

III.

Qui codici Hebræo puncta inscripserunt, ii veterem & genuinam sermonis Hebraïci pronunciationem ignoravère.

Si nota Massorethis erat vetus Hebraïcæ Linguæ pronunciatio, oportebat ut illam vel inspiratione divinâ, vel studio, vel Traditione didicissent. Atqui nihil horum dici potest.

Primum, id est, Massorethas afflatos

à Deo fuiſſe, apud Chriſtianos confutatione non eget.

Nec poteſt dici ſecundum, nimirum Maſſorethas ſtudio ac labore didiciſſe, quæ primæva fuerit Linguæ Hebraïcæ pronunciatio. Id enim ſi tentaſſent, fruſtra fuiſſent. Recentiores Critici genuinam Linguarum Græcæ & Latinæ prolationem expiſcari nondum potuêre, quamquam inſtructi fuerint ab omnibus in hâc inquiſitione ſubſidiis. Contra probari nequit Maſſorethis aliud præſtò fuiſſe præter Textum Hebraïcum, Thalmudica ſcripta Judaïcaſque fabulas.

Sed his quorſum immoramur? De veteri pronunciatione ne inquiſierunt quidem Tiberienſes, ſed quæ ſuâ ætate vigebat, hanc exhibuêre ac pro futuris ſanxêre temporibus. Hoc fatentur Adverſarii; ſed contendunt ſimul vetuſtam pronunciationem tunc temporis viguiſſe, perpetuâ ſcilicet conſtantique traditione eatenus propagatam.

Fuerunt, inquiunt, quovis ſæculo Rabbini multi, qui Libros ſacros diurnâ nocturnâque manu verſarunt, ſuiſque diſcipulis verſandos tradidêre. Solemne fuit toti Genti, ubicumque degeret, per omne Sabbathum in Synagogis legere Moſem & Prophetas,

Psalmosque Linguâ Hebraïcâ decantare.

Ponamus hæc vera esse; non persuadebunt tamen servatam fuisse genuinam Linguæ Hebraïcæ pronunciationem. Quid enim? an iisdem & longè pluribus auxiliis servari potuit vera Linguæ Græcæ & Latinæ pronunciatio? Fuêre semper non pauci qui Latinè ac Græcè locuti sunt. Extitère multi utrâque Linguâ scriptores, qui libros suos non paucis tantùm discipulis, sed omni etiam plebi legendos proposuerunt. Ecclesia suorum rituum tenax utramque Linguam Officiis tam privatis, quàm publicis consecravit. Periit nihilominus utriusque vera prolatio, nec jam restitui potest.

Deinde admodum inconstans fuit illa quæ nobis objicitur Traditio. L X X. Interpp. Textum pronunciarunt quomodo vigens ætate suâ Traditio pronunciandum dictabat. Idem præstitum à Josepho, ab Origene, ab Hieronymo cæterisque Veteribus. Sui temporis pronunciationem quisque secuti sunt. Cur ergo à Massorethicâ pronunciatione tot in locis & tam immane discrepant, cur à se mutuò diffident, nisi quia pro diversis temporibus variavit pronunciandi ratio?

Dicet aliquis, ſaltem concedendum prolationem Maſſorethicam eſſe omnium optimam ac primævæ præ cæteris conformem.

Sed non deſunt rationes, quibus demonſtretur non modò non eſſe optima, ſed omnibus fortaſſe deterior. In iis enim quæ mutationi obnoxia ſunt ac velut in perpetuo fluxu, id propius vero quod antiquius.

Fatemur non illibenter LXX. Interpretum temporibus jam tum ignorari cœptam veterem pronunciandi rationem : at inde conſequens eſt, ut Maſſorethæ maximè omnium ab origine remoti peſſimè omnium aberraverint.

Fieri quidem poteſt, ut qui hodie quæ fuerit antiqua Linguæ Latinæ pronunciatio penitiùs rimatur, rem attingat perfectiùs iis qui ante mille annos vixerunt. Verùm id inde erit quòd vulgatæ pronunciationi non acquieſcet, ſed res ſcrutabitur quales ab initio fuerint. Quod ſi ſatis habuerit tritam viam ſequi abſque ullo examine, uti feciſſe Maſſorethas jam dictum eſt; immeritò aſſereretur Linguam Latinam ab illo pronunciari rectiùs, quàm ab iis qui altero aut tertio poſt Auguſtum ſæculo floruerunt.

Rem ipsam accuratiùs & per partes evolvamus. In duobus sita est pronunciatio Massorethica : 1°. In valore seu sono quem singulis Alphabethi litteris tribuit : 2°. In vocalibus quas punctis exprimit.

Atqui quoad utramque partem à veteri normâ non parum recedit punctatio seu pronunciatio Massorethica.

Quod ad Litteras, hæc pauca è multis annotamus: Docent Veteres litteram פ non ut *p* sed ut *ph* pronunciari. Nulla apud eos mentio duplicis ש. Nullibi aiunt litteras בגדכפת duplici modo efferri. Tria argumenta quibus evincitur Massorethicam pronunciationem à veteri & genuinâ non parum deflexisse.

Quoad alteram pronunciationis partem, scilicet vocales quas supplent, æquè aberrant Massorethæ. Discrepant enim à Veteribus tam circa vocales supplendas, quàm circa loca in quibus supplendæ sunt.

Primò in eorum systemate nulla, ut aiunt, vocalis frequentior occurrit quàm *Scheva*. Atqui in pronunciatione istius motionis longè à Veteribus discedunt Massorethæ. Punctorum Massorethicorum mysteriis haud initiatus eum hîc Mystagogum adhibebo, quem nemo mihi favere voluisse causabitur. D.

Guarinum dico novæ Methodi acerrimum hoſtem, qui Grammaticæ ſuæ tom. 1. pag. 37. ſic loquitur.

Antiqui Interpretes Græci circa lectionem τῦ Scheva *regulas longè diverſas ab iis quas tradunt hodierni Grammatici ſequebantur.* 1°. *enim illud ſæpè non legebant initio dictionis, ut Gen.* 1. 1. בראשית Bereſchit, in principio: *Græci* βρησίθ. *Lev.* 13. 19. שאת Seeth, tumor; *Græci* σήθ &c. *E contra quando duo* Scheva *initio dictionis concurrunt, prius ſecundùm Grammatices hodiernæ canones vulgò mutatur in* hhiriq qaton, *id eſt, in* i: *poſterius verò quieſcit*, id eſt, mutum eſt. *Illi verò interdum utrumque legebant. Pſal.* 150. 2. בגברתיו Bighbhourothau, in potentiis ejus: *Græci* βεγιβαρωθαῦ. *Quandoque prius tantùm poſteriori ſuppreſſo efferebant, idque modò per* ε, *modò per* α. *Per* ε. *Pſal.* 12. 9. לבני Livne, filiis: *Græci* λεβνή. *Per* α. *Pſal.* 116. 1. מכתם Michtham, aureum: *Græci* μαχθάμ. *Num.* 11. 34 קברות Qivroth, ſepulchra: *Græci* χαβρώθ. 2°. Scheva *initiale ſæpiſſimè cum eodem ſono pronunciabant quo vocalem immediatè ſequentem. Gen.* 14. 5. רפאים Rephaim: *Græci* Ραφαείμ. כנען, Kenaan: *Græci* Χαναάν &c. 3°. Scheva, *quod in medio dictionis poſt ſocium mobile eſt, Græcis interdum ſilebat. Pſal.* 48. 3.

ירכתי Iarkethe, latera: *Græci* ἰερχθῆ. Scheva, *quod ibidem post parvam motionem quiescit, interdum pronunciabant. Psalm.* 110. 4. ילדתך Ialdhuthecha, nativitatis tuæ: *Græci* ἰελιδιθέκ; *ubi insuper* a *&* u *Massoretharum per* ι *legebant. Ex his aliisque plurimis exemplis, quæ passim occurrunt in Origenis Hexaplis à nostro D. Bernardo de Montfaucon editis, videtur constare variam admodum ac incertam fuisse apud Veteres* Scheva *legendi rationem.* Hucusque Guarinus.

Secundò idem colligitur è nominum propriorum diversâ prolatione. Legunt Recentiores *Nebucadnetsar*, *Rechabgam*, *Pinchas*, *Chiskia*, *Iirmeia*, *Iechezchel*, *Achaschveros*, *Dariavesch*, *Kislef &c.* LXX. Josephus, Origenes & alii, *Nabuchodonosor*, *Roboam*, *Phinees*, *Ezechias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Assuerus*, *Darius*, *Casleu &c.* Eo argumento utitur Bochartus epistolâ ad Jacobum Capellum de Linguæ tum Chaldaïcæ tum Syriacæ pronunciatione. Extat tom. 3. col. 853. *Recentiores Hebræi*, inquit, *à Veteribus in Hebraïci sermonis pronunciatione multùm differunt, ut ex nominibus huic Linguæ propriis, si cum antiquis Versionibus conferantur, discimus.*

Atqui si à veteri pronunciatione ita discordant in nominibus, quorum pro-

nunciatio faciliùs potuit conservari (omnium enim ore semper trita fuerant ista nomina) quid existimandum contigisse in vocibus, quæ (utpote rariùs in quotidiano sermone occurrentes) promptiùs potuerunt ad aliam pronunciationem detorqueri?

Dicent Adversarii emollita esse à LXX. Interpretibus nomina propria, quò Græcis auribus minùs barbara apparerent.

Esto. At quantumvis emollita dicantur, fieri non potest ut à pronunciatione Massorethicâ tam discrepent, si eodem modo & LXX. & Massorethæ ea in fontibus Hebraïcis legerunt. Potuerunt quidem inflecti posteriores syllabæ, ut istis nominibus daretur Græca terminatio; at quid causæ fuit, cur non servaretur ubique idem syllabarum numerus, prioresque & intermediæ syllabæ tam turpiter deformarentur?

Non in solis nominibus propriis, sed & in aliis diversitas illa conspicitur. Habemus aliquot fragmenta Hexaplorum, in quibus Textum Hebraïcum litteris Græcis descripserat Origenes ad eam normam, quâ tunc à Judæis pronunciabatur. Scimus similiter quomodo plurima loca ejusdem Textûs legerit ac pronunciarit Hieronymus. Si confe-

rantur ea loca cum Massorethicâ pronunciatione, nec rarò nec parum à veteri videbitur Massorethica discrepare.

Nullus est Scripturæ Interpres Massorethis vetustior, quem non deprehendas haud rarò secutum esse diversam à Massorethicâ pronunciationem; ita tamen, ut quo quisque propior fuit Massorethарum tempori, eo propiùs illius lectio ad eorum punctationem accedat. L X X. omnium antiquissimi longissimè recedunt.

Non desunt inter Eruditos, qui putent Massorethas interdum discrepare ab ipsis Thalmudicis Doctoribus. Nec improbabiliter. Quis enim credat vocalium supplendarum rationem, quæ per tot sæcula adeo jactata fuerat atque incerta, ut in nullo Interpretum eadem omnino esset, à Thalmude ad Massorethas constitisse. Rem tamen in medio relinquimus, & modesto Capelli judicio assentimur: *Si quis illa scripta diligenter perlustraret.... aliquam procul dubio & fortè non raram deprehenderet inter ista discrepantiam. Mihi non licuit per diversi generis studia variisque de causis ejusmodi scripta penitùs pervestigare, atque ex illis varias lectiones depromere atque observare.* Criticæ sacræ l. 5. cap. 12.

Hoc certius videtur Massorethicam punctationem à Massorethis ad nos variasse. Tria primùm puncta inventa sunt, quæ vivente Aben Esrâ ad septenarium numerum excrevêre. Nunc quatuordecim numerantur.

Colligit ex eodem Aben Esrâ Morinus l. 2. Exerc. Exercit. 18. c. 8. n. 4. punctum *Camets*, quod per *a* efferunt recentiores, à Massorethis fuisse per *o* pronunciatum.

Hodie Judæi circa pronunciationem Hebraïcam dissentiunt. Aliter pronunciant Orientales, aliter Occidentales. Inter Europæos aliter Lusitani, aliter Germani. *Il est constant*, inquit Richardus Simon, hist. Critic. lib. 1. cap. 12. *que les Juifs de différens païs prononcent l'Hébreu fort différemment. Pour ce qui regarde la prononciation*, ait Philippus Masson Dissertatione de Sinensium Linguæ utilitate, quæ habetur volumine secundo Historiæ criticæ Reipublicæ litterariæ, *comme les peuples qui se servent d'une même langue varient fort souvent dans la prononciation de certaines lettres, & de certaines voyelles, & que les Juifs Portugais prononcent autrement divers mots Hébreux que les Juifs Allemans, tout cela nous engage à croire que l'on ne peut tirer aucune certitude de leur maniére de*

prononcer, vû cette grande varieté qui se trouve entre eux.

Qui Hebraïcè sciunt Christiani non minùs scinduntur in varias loquelas, ita ut non rarò qui diversarum Provinciarum aut Urbium scholas frequentarunt, imò qui diversis Præceptoribus aut rudimentis usi sunt, vix sese intelligant. Petrus Martinius Morentinus Navarrus Technologiâ Hebraïcâ Rupellæ editâ an. 1590. pag. 7. *Habet ætas nostra in unâquaque Gente Doctores Hebræarum litterarum præstantes atque eximios. Attamen ii non omnes Hebraïcè legunt eodem modo. Aliter quædam pronunciant Germani, aliter Galli, Hispani, Itali; ac singuli quidem suam se habere dicunt consuetudinem. Sed talis consuetudo pro legitimo argumento nequaquam est habenda.*

Adeò verum est sciri nunc non posse nec à Massorethis sciri potuisse quæ fuerit primæva Linguæ Hebraïcæ pronunciatio, quod erat tertium principium demonstrandum.

In hujusce tertiæ propositionis confirmationem alia annecti possunt argumenta. Unum suffecerit inde petitum quòd per decem sæcula & ampliùs oblitterata prope fuerit apud Judæos Linguæ Hebraïcæ notitia. Quam accusatio-

nem omisissemus, nisi Rabbinorum celeberrimos, imò & Thalmudicos ipsos hâc in parte duces haberemus. Ipsorum testimonia è Morino depromta referre satis erit. Sed priùs monendus Lector id genus argumenti tale esse, ut eo demto & falsi convicto staret nihilominus, nostra propositio.

Audiamus primò Davidem Kimhium, è cujus Grammaticâ dictâ *Miclol*, & Lexico, sive Radicum libro, tanquam ex equo Trojano prodiit quicquid Grammaticarum & Lexicorum Hebraïcorum videmus. Is igitur Præfatione in Dictionarium suum sic scribit. *Incipiam in hâc secundâ libri parte, quæ spectat res ipsas, explicare omnem dictionem difficilem quæ reperitur in Lege, Prophetis & Hagiographis expressa. Ad illius etiam explicationem, cui in Scripturâ non inveniam sociam, adducam exempla ex Mischnâ, ex Ghemarâ, ex Linguâ Græcâ & Arabicâ. Omnes enim super Linguam Hebræam institutæ sunt, eo quod ipsa prima est & perfecta. Verùm imminuta est apud nos propter captivitatis nostræ longitudinem. Sic etiam deprehendimus Magistros nostros Linguam de Linguâ didicisse, cùm dicunt in Thalmude: Nesciebant Magistri nostri quid esset* וטאטאתיה במטאטא השמד, & Scopabo eam in scopis delendo. *Isa.* 14.

23. *Audierunt ancillam cujusdam Rabbini dicentem cuidam mulieri* אתתא שקולי טאטיתא טאטאי ביתא *id est*, mulier, accipe scopas, & scopa domum. *Nesciebant quoque Magistri nostri quid esset*, חשלך על יי יהבך projice super Dominum onus tuum. *Ps.* 55. 23. *Audierunt quemdam Arabem mercatorem dicentem cuidam homini* שקול יהבך ושדי אגמלאי *id est*, accipe onus tuum & impone camelis. *Præterea stabilierunt nonnulla præcepta super linguam alienam: ut cùm dicunt, Quis est sensus istius dictionis* Jobel? *Significat illa* arietem. *Dixit enim Rabbi Akiba: cùm ambularem per Arabiam vocabant* arietem יובלא Jobela. *Ita quoque de quatuor cellulis quæ sunt in Tephillin* (membranulæ sunt complicatæ quas fronti precantes alligant) *dixerunt* טטפת Totaphoth *dicta esse eo quod* טט tot *Linguâ Ægyptiacâ* duo *significat*, פת photh *quoque* duo *Linguâ Africanâ. Sic quoque dixerunt ibidem: discebant Linguam è Linguâ, ut Rabbi Chija filius Rabah, & Rabbi Simeon filius Rabbi, & Rabbi Simeon filius Chalaphtæ, qui exploraturi interpretationem ejusmodi vocum in Arabiam peregrinationem susceperunt, ut illas ediscerent.* En Rabbinorum celeberrimos ignorantiam suorum decessorum confitentes. En quibus auxiliis dictionum

rariùs occurrentium intelligentiam adepti sunt. De Linguâ in Linguam, è casibus fortuitis, ab ancillâ, à mercatore fortè fortunâ cum Rabbino colloquentibus conjecturam faciebant. Qui Linguam probè norunt his auxiliis nil opus habent. Qui opus habent, quibusque nulla alia suppetunt, unde dictionum significationem conjectent, debent ii de suâ scientiâ modestè admodum sentire & loqui.

Clariùs adhuc loquitur idem Kimhius Præfatione in suam Grammaticam. *Ab eo die*, inquit, *quo Patres nostri in terram alienam exterasque gentes abducti sunt, didicerunt Linguam earum & obliti sunt Linguam sanctam, ita ut assuefecerint se filii & nepotes eorum loqui Linguam externam labiumque alienum, unusquisque juxta Linguam terræ & loci captivitatis suæ, inter Saracenos & Christianos & quoslibet alios populos. Non reperiuntur alii libri in manibus nostris præter eos qui nobis relicti sunt, viginti quatuor libros, & paucas dictiones, quæ reperiuntur in Mischnæ sermonibus. Quapropter necesse est nos mentem advertere ad id quod est in manibus nostris de Linguâ sanctâ, eamque juxta formam & consuetudinem ejus exinde instituere, ut non intereat, eamque non invenustè eloquamur. Jam certè præcesserunt nos,*

& ad eam attenderunt, docueruntque vias & regulas ejus Sapientes qui vixerunt ante nos. Caput autem & Dux Doctorum & instauratorum Linguæ fuit Sapiens Jehuda Pasi cognominatus Chiug, in cujus tempore perversa erat in ore hominum corruptaque admodum. Scribebat Juda Pasi circa annum 1030.

Abraham Levita in fine Historiæ Cabbalæ seu successionis Doctorum de eodem Juda Grammatico sic loquitur: *Rabbi Jehuda filius David Pasi dictus Chiug, qui Linguam sanctam in puritate suâ constituit, postquam in universâ captivitate oblivioni data fuerat: & Rabbi Marinus filius Ganah iste perfecit quod inceperat Jehuda.*

Auctor Grammaticæ cui nomen פתח דברי, quam Elias Levita tanti æstimavit, ut ipse edendam procuraverit, sic in Præfatione scribit de Grammaticorum labore & vigiliis verba faciens. *Aperuerunt abscondita legis & res quæ in eâ tractantur, & tota in solidum luce penetrata est, introspicientibus illis rerum absconditarum puritatem. Nam paululum abfuerat quin oblitteraretur Lingua, disrumperenturque septa ejus & destruerentur arces ejus. Eo usque corroborarunt Linguam suam adversus barbarè & ridiculè loquentes, ut facerent in canticis suis juxta vo-*

luntatem suam. Illi verò magno id zelo Zelati sunt, lapidesque de viis ejus removerunt, asperaque ejus & perversa direxerunt, animumque suum appulerunt ad Linguam juxta sententiam subtiliter examinandam.

Thalmudistæ Tractatu de anni principio c. 3. p. 26. *Nesciebant magistri nostri quid esset* סלסלה, extolle eam, Prov. 4. 8. *Quadam die audierunt ancillam cujusdam domûs Rabbini dicentem cuidam homini januam versanti & aliquid circa eam investiganti, Quousque tu* מסלסל Mesalsel *ad januam. Nesciebant Magistri nostri quid esset* סירוגין Siroghin. *Audierunt ancillam quamdam domûs cujusdam Rabbini, conspicientem Rabbinos intrantes solitarios & à se invicem separatos, illisque dicentem, Quousque ingrediemini* Siroghin Siroghin. *Nesciebant Magistri nostri quid esset* טאטאתיה Isai. 14. 23. &c. ut suprà. *Nesciebant Magistri nostri quid esset* mitte super Dominum יהבך Psal. 55. 23. item ut suprà. Sunt eo in loco duodecim dictiones de quarum singulis dicitur, *Nesciebant Magistri nostri quid esset* &c. & didicerunt casu fortuito.

Innumeræ prope sunt aliæ voces quarum sensum prorsus ignorant tam Thalmudistæ quàm posteriores Rabbini. Nesciunt enim quid significent vocabula quibus designantur pleraque

animalia; ea etiam à quibus abſtinere jubentur *Levit.* 11. lapides pretioſi, plantæ, menſuræ, ornamenta mulie-bria & cætera id genus bene multa. *Nulla nobis via facultaſque ſupereſt*, inquit Aben Eſra in cap. 28. Exodi, *diſcernendi lapides inſitionum à ſe invicem. Illas enim explicavit Saadias Gheon pro arbitrio, eo quod nulla erat ei traditio cui inniteretur. Videmus enim quòd* Saphir *interpretatus eſt* Laban, album, *qui tantùm rubeus eſt.* Et in cap. 11. *Levit.* enumeratis octo reptilium generibus; *Neque hæc octo*, inquit, *neque aves certò dignoſcere poſſumus ſine Cabbalâ*, id eſt, Traditione, quam ſupereſſe ſuprà negaverat. Rabbi verò *Salomon Jarki* in Levit. cap. 11. v. 21. ubi de locuſtis agitur: *Exercitati*, inquit, *in iis non ſumus, & propterea neſcimus iſta diſtinguere.* Idem fatentur alii de prædictis nominum ſpeciebus: quod quamvis minimè faterentur, clarum tamen fieret vel ex ipſo modo quo ſingula interpretantur, cùm inter ſe vix conſentiant.

Erat ergo propè oblitterata apud Judæos Linguæ Hebraïcæ notitia, antequam eam reſtaurare aggrederentur Maſſorethæ aut eorum Præceptores. Cùm igitur longè proclivius ſit genui-

nam Linguæ demortuæ pronunciationem ex hominum memoriâ labi, quàm illius significationem, præsertim si contingat voces quibus ea Lingua constat, destitui vocalibus, quibus indicetur syllabarum sonus; consequens sanè est, ut dicamus oblitteratam pariter fuisse apud ipsos antiquam genuinamque Linguæ Hebraïcæ pronunciationem.

Antequam ad quartum principium transeamus, subnectenda sunt loca quædam Johannis Drusii & aliorum. Sic planum fiet Viris harumce litterarum peritissimis nostram placuisse sententiam, nimirum amissam esse veterem Linguæ Hebraïcæ prolationem. Hîc eorum genio obsequimur quibus vel optimæ rationes, nisi auctoritatibus firmentur, infirmæ sunt.

Drusius libro de rectâ Linguæ Hebraïcæ pronunciatione, in epistolâ liminari. *Alphabethum vetus ante multos annos evulgavi, in quo de vi ac potestate litterarum Ebraïcarum, tum etiam de priscâ lectione Antiquorum, quæ nunc penitùs ignoratur.*

Libro 3. qq. Hebraïcarum. q. 83. sic habet. *Voces Ebraïcas scripsimus characteribus Latinis secundùm consuetudinem quæ olim in usu apud Antiquos. In quâ etsi nonnihil desiderari possit, tamen maluimus*

nunc eam sequi quàm hanc novam barbaram (de Massorethicâ loquitur) *quæ unde sit, aut quem auctorem habeat nescitur : ego saltem nescio. Si qui sciunt, velim me doceant. quis primus docuit Ebræos sonare* p *Latinum, cùm, ut Hieronymus non uno in loco testatur, sermo Ebræus* p *Latinum non habeat. Ut ne dicam quòd plerusque Oriens hanc consonam sonare non potest: sed de his aliàs. In antiquitate reperio duo* H *& tres* S. *Videlicet* H he, *&* H heth. *Item* S Samech, S Sade, S Sin. *Ex his altero* H *& duobus* S *sermo noster caret. Caret etiam litterâ* Ain, *quâ Veteres usi pro vocali. Quod dico clarum faciam ex Hieronymo, cujus unius auctoritatem Recentiorum omnium auctoritatibus in hâc re facilè antepofuerim. Nec tamen veto, si cuilibet, & quantùmlibet* nuperam hanc horridam & insuavem *pronunciationem sequatur.*

Ibidem l. 2. q. 54. *Gaza Palæstinæ oppidum, an* Aza *scribi debeat incertum.* Aza *scribit Stephanus :* Gaza *Interpretes omnes veteres & Ptolemæus. Ego, nisi recepta usuque jam confirmata consuetudo obstaret, libenter scripserim* Aza, *quomodo scribendum ante me videtur sensisse Hieronymus. Nam in Nominibus de Deuteronomio, lib. de Nom. Ebraïcis,* Sciendum, *inquit,* quòd Gaza apud Ebræos non habeat

in principio litteram consonantem, verùm incipiat à vocali *Ain*, & dicitur Aza. *Adi eundem in* Segor *Nominibus de Genesi. Et in Nominibus de Actibus Apostolorum:* Gaza fortitudo ejus. G littera addita est, siquidem Ebraïcè per *Ain* scribitur. *Judæi hujus nominis mediam hodie geminant*, Azza. *Primam scribunt per* Ain *non vocalem ut olim, sed consonam, quam sermo noster penitùs ignorat.*

Miscellaneorum Cent. 2. cap. 61. *Quod in antiquis libris Gen. 14. 7. ad fontem* Mesphat, *id scioli quidam ita mutarunt ut scribant* Misphat, *seu* Mispat, *tanquam opinati sint priorem illam scripturam minùs sinceram probamque esse. Contra quorum sinistram opinionem standum nobis est omni, quod aiunt, pede vel Hieronymi ipsius auctoritati, qui libro de Nominibus Ebraïcis, loco ubi explicat Nomina ex Historiâ Josue, disertè* Mesphat *scribit, quod interpretatur* Judicium. *Sed & Veteres omnes constat perpetuò id nomen ita legisse, ut patet ex manu descriptis Hieronymi super Isaïam, qui sinceriores hâc quidem in parte multò sunt quàm typis impressi. Sic etiam sonabant* Mesraim, Emmanuel, Hennom, Hellel *& alia similiter, quæ hodie* Misraim, Immanuel, Hinnom, Hillel *per* i. *Non igitur* Misphat *quàm* Mesphat *verior scriptura.*

Libro 7. Obſervationum c. 14. *Mihi certum eſt Judæos antiqui moris ſi non planè expertes, parum certè gnaros ſcienteſque eſſe.*

P. Martinius opere & loco ſuprà laudatis: *Tantùm abſunt* (Judæi) *à Veterum illorum Linguâ, quantùm ab ætate & diſciplinâ .... Auctoritas Hebræi ſermonis ex hoc imperito Populo peti non poteſt.*

Cellarius Grammaticæ Samaritanæ pag. 63. *Nobis ignota eſt veterum Hebræorum elocutio.*

Sixtinus Amama de ſpecialibus anomaliis ſacræ Scripturæ. 2. Reg. 18. *Quomodo ſcribendum ſit, id eſt, quæ vocales conſonis in Textu poſitis ſubjici debeant; haud certò dixeris. Conjicere tantùm licet. Quâ enim formâ nominis dicatur Ebraïcè* urina, *an* ſen, *an* ſin *non liquet. Conſonas novimus, at vocales proprias ignoramus.*

Richardus Simon (Hiſt. critiq. du vieux Teſtament. p. 170.) *Si l'on compare l'ancienne prononciation de l'Hebreu avec celle d'aujourd'hui, on y trouvera beaucoup de differences: & je ne doute pas que les Grammairiens Juifs, qui ſe ſont reglez ſur la Grammaire Arabe, n'ayent introduit pluſieurs changemens tant dans la prononciation de l'Hébreu, que dans la maniére de l'écrire.* p. 173. *Les voyes par leſ-*

quelles on a rétabli cette Langue ne sont pas si assurées qu'il n'y ait encore bien de l'incertitude. p. 174. *Les Juifs étoient peu instruits de la Langue Hébraïque, avant qu'ils eussent appris des Arabes l'art de la Grammaire.*

Fleury Discours sur la Poësie des Hébreux, apud Calmetum Dissertationum t. 1. p. 114. *On a perdu l'ancienne prononciation de cette Langue, aussi-bien que de toutes les autres Langues mortes.* & pag. 118. *Nous ignorons entiérement la prononciation de l'Hébreu, comme du Grec & du Latin, & de toutes les Langues mortes. Il y a même long-temps qu'elle est perduë, comme l'on voit par les différentes manières dont les 70, saint Jérôme & les autres Anciens expriment les mêmes mots en lettres Grecques ou Latines.*

Johannes Clericus, Quæstionum Hieronymianarum pag. 194. *Pronunciationem antiquissimorum Hebræorum nos penitùs assequi, gloriari non possumus. Sed nec ipse eam assecutus est Hieronymus, cùm jam per multa sæcula demortua esset eorum Lingua.* p. 198. *Quis nescit longinquitate temporis multa in pronunciatione mutari? In ipsius Linguæ Hebraicæ prolatione, à tempore Hieronymi ad ævum Massorethurum, ingentem factam mutationem liquet ex nominibus propriis.* Vide

eumdem Artis criticæ part. 1. cap. 4.

Ipse D. Guarinus Præfat. tom. 1. p. 13. *Antiquam & genuinam*, inquit, *Linguæ Hebraïcæ prolationem hodie ignorari, haud ægrè concesserim, si antiquæ pronunciationis nomine intelligas easdem planè inflexiones quibus non solùm vocales, verùm etiam consonantes litteræ, Mosis aut Davidis temporibus, efferebantur.*

At Grammaticæ p. 19. *Quas Massorethæ vocales postea adscripserunt, eas inter legendum supplebant Veteres. Frustra sunt qui contrarium ex Interpretum circa voces quasdam dissensione probare nituntur. Judæis enim potiùs quàm aliis hâc in re credendum docet ipsa ratio.* Scilicet Vir clarissimus hoc velle videtur: accidentia pronunciationis mutata esse, ipsam verò substantiam incolumem ad Massorethas usque conservatam; sicut in hâc voce DEUS pronunciatio vocalis U mutata est quoad accidens. Aliter enim à Latinis quàm à nobis, præsertim Gallis, efferebatur. Non tamen mutata est quoad substantiam, quia semper remansit vocalis U, & voci eadem ac olim subjecta est notio.

Hoc D. Guarini assertum omnem fidem superat. Eâtenus enim in supplendis vocalibus ab Antiquis diffident, ut illa dissensio sæpissimè locorum sensum

ſum omnino immutet. Quod apud Veteres ſingulare eſt, quod maſculinum quod in primâ perſonâ, quod activum, quod futurum, quod ab unâ radice deſcendens, illud apud Maſſorethas reperitur in plurali, in fœminino, in ſecundâ perſonâ, in paſſivâ voce, in præterito, denique ab aliâ eâque prorſus diversâ radice formatum. Id autem eo contigit quòd Maſſorethæ aliter legerint quàm LXX. quàm Paraphraſtæ, quàm Hieronymus & cæteri, punctaque alia ſubrogarint quibus voces ad certas quaſdam modificationes determinantur, ad quas, ſi ſola litterarum ratio habeatur, ſunt indifferentes. Senſus quidem Maſſorethicus interdum aliorum ſenſui præſtat, ſæpiſſimè verò deterior eſt, ut Interpretes bene multi demonſtrarunt.

Mavult credere Judæis Vir eruditus, & hoc argumentum flocci facit; at illud ſatis vindicabitur, ubi novis ejus objectionibus erit reſpondendum.



IV.

Ut Lingua Hebraïca accuratè & integrè ediſcatur, nihil refert ſcire quæ fuerit primæva, aut etiam quæ ſit ei vicinior Linguæ Hebraïcæ pronunciatio.

FACILE conficietur hæc propoſitio. Conſtat enim apud omnes, ut quis Linguam Græcam integrè & accuratè ediſcat, nihil referre utrum noſcat necne quomodo ea tempore Demoſthenis pronunciaretur. Pronuncietur juxta ritum qui in universâ Græciâ nunc viget, aut uti fit ab aliis qui morem antiquum revocaſſe ſe exiſtimant; perinde eſt, nihilque rebus ac ſenſui detrahitur. Eodem modo de Linguæ Hebraïcæ pronunciatione ſtatuendum eſt. Conceditur nihil referre utrùm pronuncietur Orientalium an Occidentalium Judæorum ritu, Hiſpanorum an Germanorum. Quid ergo refert, ut verborum ſenſus penitùs inſpiciatur, utrùm pronuncietur, uti olim pronunciata eſt & alicubi nunc pronunciatur; an novâ aliquâ ratione & à cæteris omnibus diſcrepante. In characteribus ipſis ſita eſt ſignificandi vis. Dummodo ergo intacti ac integri ſerventur characteres, res omnis in tuto eſt: nihilque ſequeretur incommodi, etiamſi eis tribue-

retur ignota huc usque pronunciatio.

Rem per se claram duplici exemplo illustramus. Considerari possunt Hebraïci characteres, ut notæ arithmeticæ, quas vocamus *Chiffres*, quibus singulæ Nationes peculiaria sibi nomina indiderunt. Quâvis Linguâ enunncientur illæ notæ, quovis modo pronuncientur, idem semper in mente sensus exurgit. Numerum istum verbi gratiâ 1725. aliter enunciat Italus, aliter Gallus, Germanus. Omnes tamen idem intelligunt, quia nimirum in ipsis characteribus residet significandi vis.

Alterum exemplum è Sinensium Linguâ accersemus. Sinensium characteribus utuntur, ut narrant, Gentes quædam vicinæ, puta Japonenses, Cochinchinenses &c. Sed adeo dissimili ratione characteres illos pronunciant, ut si loquantur, alter alterum, Sinensem Japonensis non intelligat, & vice versâ. Si verò legant, idem omnes intelligunt ob rationem assignatam.

Consentiunt Hebraïzantes ferè omnes nihil interesse quomodo Hebraïca pronunciemus. Johannes Clericus qq. Hieronym. p. 200. *Accurata pronunciatio minimè est necessaria ad accuratam Linguæ inter legendum cognitionem sibi comparandam.*

Idem Artis Criticæ parte primâ, c. 4. n. 7. *Objicient qui Rabbinos nimis mirantur, ita futurum ut non pronunciemus, ut illi solent, quod verum est. At non minùs verum legitimam & antiquam pronunciationem illis non magis notam esse quàm nobis. Et cùm illa nihil ad Linguæ intelligentiam faciat, nihil interest quocumque modo pronunciemus; nisi quòd facilior sequendus est, ne inutili difficultate nos impediamus.* Lege & Cellarium loco jam citato, & Cappellum Arcan. punct. l. 2. cap. 20. num. 10.

Quin imò si hodie è tenebris integra eruerentur Hexapla vel Octapla Origenis, in quibus Textus Hebraïcus Græcis characteribus totus propriâ & distinctâ columellâ erat olim descriptus, prout tunc à Judæis pronunciabatur ac legebatur, non expediret eam pronunciationem sequi in omnibus, novamque Grammaticam juxta istam pronunciationem condere. Semper enim & meritò dubitari posset utrùm Judæi ad tempus Origenis antiquam pronunciationem servassent. Jam enim à septingentis circiter annis desierat Lingua Hebraïca esse vernacula. Ipsi etiam qui Origenem præcesserant veteris Testamenti Translatores, jam inter se diffidebant circa Hebraïcæ Lin-

guæ pronunciationem. Constat enim non tantùm ex contractioribus Hexaplorum fragmentis à D. Martianæo in Editione Operum S. Hieronymi collectis, sed & ex uberioribus, quæ anno Christi 1713. plaudentibus Doctis omnibus publici juris fecit D. Bernardus de Mont-Faucon, LXX. Interpretes non rarò aliter pronunciasse quàm Aquilam, Aquilam aliter quàm Symmachum, Symmachum aliter quàm Theodotionem. Dubitaretur insuper num Origeniana pronunciatio Scripturæ sensum non restringeret intra arctiores limites. Militarent certè contra illam pronunciationem (adde & Hieronymianam & aliam quamlibet è veteribus) eadem ferè argumenta quæ contra Massorethicam militant & referentur infrà.

V.

Ut Textus Hebraïcus mixionis expers legatur, & absque ullius erroris periculo explicetur, legendus & explicandus est sine punctis Massorethicis, aut saltem punctorum nulla habenda ratio.

CONCEDITUR nunc ista propositio ab omnibus fermè Criticis tum Catholicis tum Heterodoxis qui in pretio sunt; & meritò.

Primò enim puncta Massorethica Textui addititia sunt, nec sunt pars Scripturæ.

Secundò puncta non exhibent certò quis fuerit Scriptoris sacri sensus, sed quem sensum Massorethæ Scriptori sacro tribuerint. Constat autem Massorethas in punctatione & pronunciatione determinandâ nihil minùs fuisse, quàm ab errandi periculo tutos. Qui ergo Textum Hebraïcum ex eorum punctatione legunt & interpretantur, ii tantùm, si quis propriè loqui velit, interpretationem, commentaria ac glossemata Massoretharum in Scripturam legunt.

Tertiò punctatio Massorethica varia fuit olim, & etiam nunc varia est. *Si primi punctorum inventores*, inquit Georgius Mayr non ignobilis è Societate Jesu Hebraïzans in *Institutionibus* suis *Hebraïcis* pag. 273. *sæpius errarunt in litteris, certè multò id proclivius fuit in tot punctulis. Hinc, nec mirum, exemplaria quoque variant. Quod enim Deut. 7. 24. Pagninus legit secundùm regulam uno modo, nunc alio modo legitur in quibusdam exemplaribus & contra regulam.* Non unum profert exemplum, & longè plura proferre facillimum est.

Quartò non tantùm incerta est illa

punctatio, sed in pluribus apertè mala & contra ipsas regulas Massorethatum. Hinc tot anomaliarum Chiliades circa puncta, quæ nullam aliam caussam habere possunt, nisi quòd cùm puncta indita sunt barbarè pronunciarentur illa vocabula. Testem damus Everardum Vander Hooght, in Præfatione Bibliorum *Josephi Athiæ* anni 1705. §. 15. *Multa à nobis*, inquit, *ab insigniter deformi punctatione vindicata sunt.* Et §. 25. *Non omnia tamen controversa secundùm formam grammaticam ab ineptâ & insigniter deformi punctatione vindicavi; quia Codex Biblicus quâvis Grammaticâ longè est antiquior, multisque anomaliis est refertus.*

Quintò sensum Scripturæ coarctant Massorethæ, neque aliter fieri potest, cùm eorum puncta suo instituto, verborum sensum ad hanc significationem potiùs quàm ad aliam determinent.

Sextò. Illa Scripturæ interpretatio quam Massorethæ punctis expresserunt suspecta nobis esse debet, cùm Auctores habeat Christianorum hostes infensissimos. Ac certe plures magni inter Christianos nominis ab illâ Judaïcâ expositione cavendum monent, aut etiam disertè Massorethas accusant, quòd loca plurima nativo suo ductu

aliorsum ac Judæi vellent invitantia suis illis punctis à recto detorserint. Vide si vacat, è Catholicis Genebrardum Monito ad Lectorem quod præfixit Commentario in Psalmos, Vvillelmum Lindanum Episcopum Ruræmundensem toto libro 1. *De optimo genere Scripturas interpretandi*, & præsertim c. 2. Bellarminum lib. 2. *De Verbo Dei*. Morinum lib. 2. Exercitatione 12. cap. 2. Ex Heterodoxis M. Lutherum in *Schem Hammaphorasch* circa finem, & alios.

Nos hîc Massorethis falsi crimen non impingimus, ne argumento magnis quidem Auctoribus subnixo, sed cujus veritas omnino demonstrari non possit, victricem causam non tam ornemus, quàm oneremus. Hæc tamen movebunt cordatum quemlibet, etsi minimè suspicacem. Jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Christiani pugnabant contra Judæos multis Scripturæ locis, atque in hâc pugnâ Græcâ Versione utebantur. Judæis nihil antiquius, quàm ut objecta loca eluderent, & Græcæ Versioni quantùm possent, detraherent. Ad eludenda Scripturæ testimonia, quid magis in promptu, quid magis extra calumniam positum, quàm ubi vox quædam variè pronunciari, variè distingui posset, eam pro-

nunciationem, eam diſtinctionem amplecti, quæ Chriſtianis prodeſſet minùs? Novum legendi modum ab uno alterove tentatum invaleſcere paulatim apud Judæos oportebat utilitatis cauſâ & repugnandi libidine. Ut verò Græcæ Verſionis auctoritatem elevarent, credibile eſt multis etiam in locis, quæ nec Judæis nocent, nec Chriſtianos juvant quoquomodo explicentur, receſſum ab antiquâ legendi ratione. Quæ ſi facta ſunt, ut fieri oportuiſſe fatebuntur quibus nota eſt vis præjudicatarum circa Religionem opinionum; ſequitur inſinceram eſſe & lutulentam interpretationem quam Tiberienſes punctis exhibuêre.

Ad ipſos Punctatores quod attinet, cùm operi ſe accinxerunt, non potuit una paſſim atque eadem eſſe omnium omnino Judæorum ſingula vocabula pronunciandi diſtinguendive ratio. Sicubi verò fuit varietas, quis mirabitur illos partem eam ſecutos, quæ Judæorum cauſæ magis favebat? Idque etiam illi ſine dolo malo facere potuerunt. Nec enim falſarius niſi impropriè vocari poteſt Scripturæ Interpres, qui cùm è duobus ſenſibus alterum eligere cogitur, eum amplexatur, quem è præconcep-

tis opinionibus veriorem esse judicatî.

Patet ergo Massorethicæ punctationi maximè diffidendum, etiamsi bona Punctatorum fides in dubium vocari non posset. Tamen quis nobis spondeat Massorethas fuisse meliores & in Christianos æquiores quàm eorum posteri, qui nihil non moliuntur, ut quæ pertinent ad D. Jesum oracula nobis eripiant, & in defensionem suæ pertinaciæ Massoretharum punctatione cæterisque distinctionibus uti solent? Cujus rei exemplum subnectere libet, quo quidem Judæorum etiam imperitorum atque plebeiorum indoles declarabitur.

Anno 1712. circa Augusti initium aliquot dies Ambiani commorati sunt Judæi duo Metenses. Seniori ac doctiori nomen erat *Daniel Zei*, alteri *Elias Prag*. Collocuti simul pluries de Religione, venimus tandem ad celebre Jacobi vaticinium, Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Judâ*. Asserebam inde manifestò sequi jam præteriisse tempus adventui Messiæ præsignatum; nihil tenes, inquit *Daniel Zei*: malè enim pausas seu distinguis hunc versum. Et unde hoc, inquam? Nonne ita legendum est? *Non auferetur sceptrum de Judâ*, virgula; *& Dux de femore ejus*,

virgula, *donec veniat qui mittendus est*, punctum. Numquid non finitur sensus in voce רגליו, & עד כי incisi novi initium est? Id certè & loci contextus & Veterum consensus exposcit. Quin & idipsum probat accentus *Athnach* sub voce רגליו etiam in vestris Bibliis collocatus hoc modo רגליֽו. Erant præ manibus Biblia Rabbini *Manasseh Ben Israël.* Tum subridens Daniel, nondum mysteriis nostris plenè initiatus es, inquit. Vide accentum sequentem sub voce עַד. Munus illius est efficere ut vox cui subjacet præcedenti connectatur. Et quanquam id per se non indubiè præstaret, præstaret tonus musicus hujus vocis. Cùm enim à nobis decantatur versiculus ille, vocem attollimus ad vocabulum עד, & aliquantulùm pausamus: deinde cum particulâ כי hemistichium aliud inchoamus. Unde fit ut hujus loci sensus iste sit. *Non auferetur sceptrum de Judâ & Dux de femore ejus in æternum*, virgula, *quandò venerit Messias.* &c. Argumentare nunc quantùm volueris, quid inde aut pro te aut contra nos inferes?

Instabam ut facile erat; sed frustrà novitatem lectionis, veterumque Rabbinorum in isto versu nostro more le-

gendo consensum regerebam homini vim argumenti ne quidem sentienti. Quod addebam de accentu *Athnach*, verum esse confitebatur; sed aiebat exceptionem pati ob rationes à se allatas. Clarum erat mihi vendi fumum: sed quid agerem cum homine Gentis illius quæ juxta D. Paulum 2. *Cor.* 3. 14. velamen habet supra cor, ne in lectione veteris Testamenti agnoscat quod revelatum est?

Hanc porrò Historiolam non ideo commemoravi quòd existimem Judæorum omnium aut etiam doctiorum eamdem esse sententiam circa hujus versiculi pausationem; sed ut exemplo familiari manifestum fiat doctos & indoctos nullum non movere lapidem, quo concutiant genuinum sensum locorum quibus fidei Christianæ mysteria fulciuntur; & consequenter Christianis omnibus abeorum punctis, accentibus & cæteris quisquiliis cavendum esse.

Cùm hæc primùm scribebam, nondum noveram interpretationem modò allatam scripto fuisse traditam à Rabbino *Abraham Israël Pilzaro* Judæo Batavo.

Quantùm autem accentibus diffidendum, confirmabit & alia obser-

vatio desumta ex *Avenario* parte 3. Grammaticæ, in catalogo vocum irregularium ordine Alphabetico, ad vocem ללת 1. Sam. 4. 19. *Infinitivus est Kal*, inquit, *cum defectu* Daleth, *propter accentum* Sægoltha, *pro regulari* ללדת, *in quo non poßet scribi prædictus accentus cùm sit paroxytonum: idcirco abjicitur Daleth.* Mirare, Lector, accentuum efficaciam. Pro accentu collocando expungitur littera. Non is sum qui credam eâ de causâ expunctum esse *Daleth* è voce ללדת. Sed credidit Avenarius & ex Rabbinis plurimi, nec incredibile est, cùm frequenter ob punctum *Daghess* figmentum æquè inutile & propter puncta nonnulla expungantur litteræ.

VI.

Ut Grammatica Hebraïca bona sit, necesse est ut in Hebraïcæ Linguæ notitiam deducat nullâ habitâ ratione punctorum. Ita censent meliores Critici atque inprimis Cappellus.

SEQUITUR hæc propositio ex præcedenti. Nam cùm Grammaticæ Hebraïcæ finis sit recta Textûs sacri intelligentia, eaque haberi non possit nisi Textus ille absque punctis Masso-

rethicis legatur ac exponatur; profectò consequens est, eam solam Grammaticam probandam esse, quæ à punctis Massorethicis libera sit, nec ab iis ullo modo pendeat. Hanc autem propositionem non modò concesserunt, sed & demonstrarunt Criticorum omnium probatissimi, atque inprimis L. Cappellus.

Norunt Docti, ex Criticis qui ultimo sæculo Textui Hebraïco illustrando allaborarunt, nullum forsan esse L.Cappello laudatiorem. Illius principia hinc maximè commendanda videntur, quòd cum doctrinâ Catholicâ ita concordent, ut tres Theologi è nostris primi certè nominis edendum Parisiis cum Regis Privilegio præcipuum illius Opus, nimirùm *Criticam sacram*, curarint, quia id totius Ecclesiæ bono expedire judicabant.

Atqui illic totus ferè in eo est, ut ostendat Grammaticam hodiernam valde esse imperfectam, omnique ope enitendum, ut alia de novo instauretur, quâ inventâ, absque morâ & hæsitatione erit veteri renuntiandum. Quin non paucas novæ Grammaticæ regulas proponit, quarum ea principem locum tenet: ut à punctis Massorethicis omnino sit soluta.

Referetur numero sequenti caput ferme integrum ex eo Opere desumptum, quo manifestum fiet hoc Cappelli consilium, simulque constabit quâ de causâ nec ipse opus aggredi ausus sit, nec ad optatos exitus unquam perduci posse speraverit.

VII.

Ratio cur Grammaticam Massorethicam non omnino repudiavit Cappellus, novamque sine punctis instaurari vix posse existimavit, ea una est, quòd ignoraret rationem legendi sine punctis Massorethicâ commodiorem & certiorem.

ACCURATE notanda est hæc propositio. Nam sicut prioribus existimamus demonstratum novam Grammaticam ratione niti, ita & hâc putamus non minùs clarè ostendi, eam pariter niti optimorum Criticorum auctoritate.

Dicimus ergo præcipuam imò & unicam causam propter quam Cappellus Grammaticæ Massorethicæ insistendum crediderit, novamque à punctis immunem, quam tantopere exoptabat & Massorethicæ omnino præferendam censebat, condi posse desperaverit, eam esse quòd ignoraret rationem le-

gendi Hebræa absque punctis, Massorethicâ certiorem & commodiorem. Sed audiendus est ipse. Sic igitur loquitur libro sexto Criticæ sacræ, capite undecimo, cui titulus est, *Novæ Grammaticæ ratio ex istâ de variis lectionibus observatione instituenda.* Attentè consideranda sunt singula verba.

Cùm tota punctatio, inquit, *quæ in hodierno Textu Hebræo extat, à Massorethis sit excogitata, quorum auctoritate & punctatione non tenemur, nisi quatenus ea aptum & commodum gignit sensum; si consonarum* (per consonas intelligit Cappellus characteres omnes, tam eos quos vocales esse contendimus, quàm cæteros) *duntaxat in legendo habenda est ratio, atque ex vocibus per solas consonas signatis Canones Grammatici sunt constituendi, quicquid hodie in Grammaticâ Hebraïcâ ad punctationem & punctorum mutationem spectat, & illi tanquam fundamento innititur, illud totum unâ liturâ esset à Grammaticâ delendum: atque ita longè maxima Grammaticæ pars abolenda foret.* (Non est ergo imprudens ac temerarium quod mox asseremus, nimirum Grammaticam novam brevem esse ac expeditam, resecareque ad vivum impedimenta, quibus ab ediscendâ Linguâ Hebraïcâ tot viri ingeniosi de-

terrentur.) *Concidet enim ſic exempli gratiâ diſcrimen conjugationum* Kal, Piel, *&* Pual, *quæ puncto* Dagheſſ *& quibuſdam vocalibus tantùm hodie diſcriminantur.* Enumerat hîc Cappellus multa quæ à ſe invicem punctis tantùm diſtinguuntur, inter quæ nullum idcirco futurum eſt in novâ Methodo diſcrimen.

Ad vocum itaque pronunciationem ſola habenda eſſet ratio litterarum אהוי *quæ propterea matres lectionis à Judæorum Grammaticis appellari ſolent, atque ex iis legendi ratio conſtituenda foret.* (Addere debuiſſet litteras ה & ע quæ pro vocalibus à Veteribus habitæ ſunt.) *Verùm quia illæ frequentiſſimè in Textu Hebræo abſunt ubi ad vocales deſignandas adeſſe deberent, legendi ratio quæ ex iis ſolis haberi poſſet impedita admodùm & perplexa atque adeò valde imperfecta foret.* (Dicendum erat fore impoſſibilem; cùm voces plurimæ ſolis conſtent propriè dictis conſonantibus, niſi recurratur ad artificium aliquod ei ſimile quo utendum docemus.) *Ideò utiliſſimè & appoſitiſſimè ad juvandam lectionem excogitata fuerunt & addita à Maſorethis puncta.* Id porrò cum bonâ Cappelli veniâ concedere non poſſumus ob datas ſupra rationes, quarum ea præcipua eſt;

quòd puncta Massorethica non tantùm lectioni inserviant, sed sensum verborum quibus adscribuntur determinent juxta Punctatorum arbitrium. Præterea, ut mox videbitur, eam tantummodo ob causam sic loquebatur Cappellus, quòd ignoraret Methodum legendi Hebraïcè absque punctis aliam à Massorethicâ, eâque certiorem & commodiorem.

Cùm itaque Grammaticæ ratio commodè & utiliter tradi non possit nisi voces enuncientur, enunciandi autem eas ratio & via certa & plena ex solis litteris אהוי, *prout eæ hodie in Textu Hebræo extant, difficulter tradi possit, age sanè punctationi Massorethicæ eatenus adhæreamus*, (Nota) *quatenus neque certior, neque commodior vocales ad vocum enunciationem necessarias designandi ratio usque hodie inventa est; atque ex consequenti eam tradendæ & docendæ Grammaticæ rationem sequamur quæ illi punctationi innititur, neque temerè eam convellamus aut sollicitemus, nisi fortè aliquis aliam rationem certiorem & commodiorem inveniret punctandi.* En disertis verbis, quod hujus articuli initio asseruimus.

VIII.

Nova Grammatica tradit rationem legendi Hebræa sine punctis Massorethicâ certiorem & commodiorem.

DARI in novâ Grammaticâ rationem legendi Hebræa absque punctis patet ex primo illius capite. Eam autem esse Massorethicâ certiorem & commodiorem sic ostenditur.

Punctationem seu rationem punctandi legendive certam vocamus eam quæ nobis autographum exhibet purum ac sincerum, id est, sine ullo additamento, quo meritò dubitari possit utrùm sensus illius non sit immutatus.

Hâc de causâ negamus punctationem Massorethicam posse dici certam. Non enim certum est eam nobis Textum sacrum repræsentare purum ac sincerum, cùm Textui aliquid admisceat quo genuinus illius sensus possit in alienum detorqueri. Nimirum ea punctatio verba ad unam significationem restringit potiùs quàm ad aliam. Cùm autem constet Massorethas in eâ punctatione designandâ non fuisse ab errandi periculo immunes, imò cùm constet eos non raró aberrasse, in dif-

ficilioribus semper erit locus dubitandi num eorum lectio sit genuina, num sensus quem parit sit ille ipse qui à Spiritu Sancto intentus est.

Inhæret illud vitium punctationi Massorethicæ adeo radicitus, ut ab eâ nullâ industriâ, nullâ ratione auferri possit. Non enim, quod diligentissimè observandum est, huic malo mederetur qui diceret: Esto, malè punctaverint Massorethæ; sed quid necesse est propterea eorum punctationem penitùs abjicere? Nonne satis esse debet eam corrigere, quoties corrigendam ratio persuadebit, & uti quotidie corrigunt celeberrimi quique Scripturæ Commentatores?

Qui sic loqueretur, qui sic ageret, præfato morbo non mederetur. Qui enim aliter verba quædam punctaret quàm punctarunt Massorethæ, sed tamen eorum puncta conservaret, semper in idem vitium impingeret ac Massorethæ. Eadem ipsi semper objici possent quæ Massorethis: semper enim dubitari posset an punctatione suâ Scripturæ sensum perverteret.

Non ita est in novâ Methodo. Textus enim Hebraïcus ita pronunciatur ac legitur, ut nihil omnino ei immisceatur quod sensum vel tantillùm

possit immutare. Unde sequitur novam pronunciationem esse certam & Massorethicâ longè certiorem.

Objicietur in novâ Grammaticâ etiam adhiberi puncta quædam: rejici quidem puncta Massorethica, at eorum loco subintelligi alia, quod idem est ac si Textui inscriberentur.

At multùm discriminis interest inter puncta Massorethica & nostra. Nam Massorethica vim habent significandi aliquid. Restringunt significationem vocum quibus insunt. Efficiunt ut ab unâ radice potiùs quàm ab aliâ descendant. Eas ad certam quamdam modificationem determinant. Inserviunt ad formationem personarum, generum, numerorum, temporum, conjugationum. At puncta, quæ eorum loco in novâ Grammaticâ substituuntur, nihil omnino significant, verborumque sensum nullatenus attingunt. Apud nos vocum modificationes & significationes à solis characteribus desumuntur, & ubi non sufficiunt characteres, à locorum exigentiâ & veterum Versionum, earum præsertim, quæ ab Ecclesiâ probantur, auctoritate. Unò verbo ideo tantùm in novâ Methodo subintelliguntur vocales quædam, ut characteres sonum aliquem edant ac legi pos-

sint. Nihil ergo addunt Textui, nec ullatenus impediunt quominus purè & sincerè legatur; ergo nova pronunciatio seu punctatio, certior est Massorethicâ.

Hæc porro dos tam eximia est, ut ad quæstionem dirimendam sufficeret, etiamsi nova punctatio videretur veteri minùs facilis & commoda. Non enim erit dubium apud peritos quin hoc in negotio commoditas certitudini sit postponenda. Verùm quod non parvifaciendum judicabunt plurimi, non tantùm est veteri certior, sed & facilior ac commodior, quod est alterum Cappelli postulatum.

Hanc autem secundam novæ punctationis dotem nullus inficiabitur, qui vel leviter perpenderit quæ sit illius simplicitas. Unicâ constat regulâ, eâque nullas exceptiones admittente. Inde autem fit, ut qui litterarum Hebraïcarum figuras novit, intra horam facilè & expeditè legat ex novâ Methodo quemlibet Textum Hebraïcum non punctatum; quod ex Massorethârum Methodo nonnisi longo usu, & post plures annos acquiritur.

Tradit ergo nova Grammatica rationem legendi Hebræa absque punctis Massorethicâ certiorem & com-

modiorem; quod sumsimus demonstrandum.

Mirum profectò nobis semper visum est, & omnibus videbitur, Cappellum summum virum, tot ac tantis adjumentis ad novam hanc Grammaticam inveniendam instructum, eâ jam tantùm non integrè delineatâ, jactisque ac stabilitis omnibus illius fundamentis, non modò eam non invenisse, sed ne quidem de ejus possibilitate ausum pronunciare. Adeo verum est lenta esse omnia apud homines, primosque artium etiam utilissimarum inventores plerumque homines fuisse obscuros ac ignobiles, qui aliis nec ingeniosiores, nec doctiores, nec laboriosiores, sed tantummodo feliciores fuerunt.

IX.

Conferuntur veteris ac novæ Grammaticæ commoda & incommoda.

A Veteri incipiemus, quam si quis propiùs inspexerit, superfluis ac nugis plenam reperiet, aptam labefactandis ingeniis, longam, difficilem, à Linguæ Sanctæ studio eos etiam deterrentem & arcentem, quibus illius cognitio maximè est necessaria.

Plena est superfluis, nugis, vanis observationibus, futilibus ac ineptis præceptionibus. Quid enim aliud sunt illius regulæ magnam partem? Vix ullius sunt usûs, innumeris præterea exceptionibus obnoxiæ. Cui bono vocales quatuordecim, *Scheva mutum*, *Scheva mobile*, cujus juxta Eliam, teste Cappello *in Arcano punct.* sunt undecim diversi soni? *Daghess lene*, *Raphe*, *Smol*, nubes illa accentuum, qui, si duo tresve exceperis, ad nihil aliud inventi videntur, nisi ad obtundendam oculorum aciem lectionemque interturbandam? Cur in vocibus penè singulis tam frequens tantaque lectionis varietas. Jamdiu querimur Judæos suis nugis disciplinas omnes Theologiamque ipsam infecisse ac maculasse. Quâ de causâ eos in Grammaticâ sapientiores magisque sobrios existimaremus?

Apta est labefactandis ac depravandis ingeniis. Ingenia labefactat qui eorum vigorem obtundit, qui assuefacit nugis ac fabellis, atque ita instruit ut magna ac parva eodem ferè loco habeat. Atqui hæc omnia præstat modus ipse quo Massoretharum discipuli Grammaticam tradunt. Hærent circa minima, seriò & ad nauseam usque immorantur

immorantur in discutiendis præceptiunculis quibusdam nullius momenti & usûs. Circa accentus, semipuncta, punctorum mutationes & similia ita altercantur ac si ageretur de summâ rerum. Eodem morbo laborare videas plures è nostris. In operibus maximè seriis sæpissimè digrediuntur, ut leviusculas quasdam Grammaticæ observationes superstitiosè evolvant, ingentem suum in Judaïsmo profectum quâcumque viâ ostentantes. Unde petenda tantæ aberrationis causa, nisi ex ipsâ ratione quâ Grammatica Massorethica traditur? Innutriuntur & assuefiunt Tyrones his nugis, docenturque summo in honore ac pretio habere vel minima ac supervacanea, quæque sæpè intelligentiam fugiunt, Massoretharum commenta.

Longa est denique ac difficilis, ac vix tandem per multas ambages ad certam & expeditam Hebraicæ Linguæ notitiam perducens. Illi etiam qui juxta consuetam Methodum Linguæ Hebraïcæ ediscendæ diutius incubuerunt, eamque norunt perfectiùs, ad quas rediguntur angustias, cùm eis Biblia non punctata legenda ac explicanda porriguntur, antequàm diuturnâ cum sacro Textu familiaritate divinandi ar-

tem adepti sint? Hinc est quòd Theologorum nostrorum bona pars ne tentat quidem scire Hebraïcè; quamvis nulla fortasse sit cognitio quæ Theologum magis deceat: adeo deterrentur difficultatibus, quæ confertim vel in ipso consuetæ Grammaticæ limine se produnt.

Grammatica nova è contrario brevis est, facilis, inutilibus non impedita. Res probatione non eget. Unde enim oriuntur consuetæ Grammaticæ difficultates ac salebræ? Non alio sanè ex capite, quàm ex punctis eorumque adjunctis & consequentibus. Iis ergo sublatis tolluntur simul impedimenta, quibus occludebantur Grammaticæ Hebraïcæ aditus.

Favet antiquis ac in Ecclesiâ probatis Scripturæ Versionibus. Præcipua enim caussa, cur LXX. Interpretes Vulgataque Versio Latina cum hodierno Textu Hebræo tot in locis videntur non consentire, ea est quòd Massorethæ aliter legerint punctarintque, quàm veteres Interpretes. Rejectâ ergo novellâ illâ punctatione, reperietur & LXX. & Vulgatam ab Hebræo longè minùs quàm à quibusdam creditur discrepare.

Idonea est veteribus Linguis Orien-

talibus ferè omnibus ediſcendis, Chaldaïcâ præſertim, Syriacâ & Samaritanâ, quæ quidem ex unâ eâdemque derivatæ id commune habent cum Hæbræâ, quòd non raro vocales omittant, olimque ſine punctis ſcriberentur.

Novæ Grammatices præſtantia magis ac magis eluceſcet, ſi noſtra Methodus cum aliquâ celebri Grammaticâ conferatur. Nulla certè Guarinianâ ad comparationem aptior, cùm ejus Auctori nec eruditio deſit nec profeſſionis diuturnitas, nec alius Maſſoretharum arcana penetraverit altiùs vel luculentiùs expoſuerit.

Si Pergama dextrâ
Defendi poſſent, etiam hâc defenſa fuiſſent.

Numeremus ergo quot in ejus Grammaticâ paginæ circa puncta, quot circa litteras verſentur. Ne unus quidem triens de litteris, de punctis reliqui duo & ampliùs.

Liber primus *de Etymologiâ* complectitur quicquid ad Artem Grammaticam pertinet. Paginarum eſt 418. in 4°: quarum pars longè major duplici columnâ conſtat charactere minutiori. Sumat calculos qui volet, earum 286. circa ſola puncta, punctorum naturam, effecta, accidentia, mutationes, præ-

ceptiones & anomalias versantur. Reliquæ 132. circa litteras, id est, circa Grammaticæ præcepta, aut observationes quæ characteres ipsos spectant, & in illas etiam paginas punctorum mentio sæpissimè irrepsit.

Cùm autem quælibet pagina de punctis agens sit intellectu recordatuque plusquam duplo difficilior, quàm alia pagina tractans de solis litteris, jam liquet è duabus Grammaticis Massorethicâ & nostrâ utra & quantò brevior faciliorque sit.

Guariniana enim Grammatica secundùm se totam spectata, Grammatica est Massorethica. Ad tertias verò, imò & ad quartas & ampliùs decocta, id est, ad solas litteras redacta, Grammatica nostra est. Nostra igitur triplo quadruplove, & ampliùs brevior ac facilior quàm Massorethica.

Aliud Grammaticæ Massorethicæ incommodum, *Accentus*. De iis unum hoc scio, exceptis tribus quatuorve, quorum munus est varias periodorum partes distinguere (etsi longè minùs feliciter id præstent quàm Latinorum interpunctiones) cæteros nulli usui esse, qui vel tantillùm compensare possit temporis in iis addiscendis jacturam. Illorum valor & effecta ignorantur,

Nescitur quid significent plerorumque nomina. Numerus eorum necdum definitus. Alii plures, alii pauciores admittunt. Plurium figuræ eædem sunt, (unde facilis error) & situ tantùm distinguuntur. Insuper adeo exiles, ut ab oculis etiam perspicacioribus vix capiantur. Accentuum non eadem, ut aiunt, ratio in libris Poeticis ac Prosaïcis, nec anomaliæ minùs frequentes quàm punctorum. Diffident circa eorum utilitatem, posituram, necessitatem Bibliorum Interpretes. Quæ de accentibus scripserunt Viri doctissimi, iis patet longam, difficilem, incertam, sibi ipsi contradicentem, imò & noxiam esse accentuum doctrinam. Vide Buxtorfii Thesaurum, & Everardum Vander Hoogth Præfatione Bibliorum Josephi Athiæ, anni 1705. Quapropter nova Methodus vel eo nomine præcellit veteri, quòd studiosos illâ carnificinâ liberaverit.

Minus profectò est, at non prætereundum, quod addituri sumus. Jam dictum, nonnisi post arduum & plurium annorum laborem, ab iis qui punctationi Massorethicæ adhærent legi posse Hebraïca absque punctis. Adjicimus nec cum punctis legi licere, nisi iis qui valentioribus sunt oculis & ætatis in-

tegræ. Senibus & quibus videndi facultas infirmior, præsertim nubilo cœlo, non licet, adeo puncta exilia sunt & sibi similia. Nec iis etiam qui juventâ pollent & oculorum acie, nisi usu ferè quotidiano exercitatis, datur cursim legere dum ad puncta attendunt. De exercitio paulisper remiserint; articulantes ac propè balbutientes videas potiùs quàm cursim & planè legentes. Hinc pluribus fastidium, dein contemtus, odium denique litterarum & eruditionis, quæ instante senectâ, aut inertibus alio-ve implicitis fient intractabiles.

Quàm præterea molestum sit Hebræa cum punctis accuratè scribi aut typis mandari, norunt quibus cordi est libros legere emendatissimos. Nec mirum, cùm tam proclive sit circa puncta in errorem labi. Quamvis non erraret typothetæ manus aut oculus, continuâ impressione, repetitâque formæ typographicæ lotione, extremi punctorum apices atteruntur & præ exiguitate abrumpuntur.

Sed quis his temporibus typorum dispositores satis peritos inveniet, ut Hebraïca edere valeant cum omni Massoretharum supellectile. Absit verbo injuria (nec enim Parisiensem

Typographiam læſam volumus, olim & etiam nunc de litteris Hebraïcis tantopere meritam) vix in tanto Officinarum numero tot ejuſce claſſis ac induſtriæ compoſitores reperies, *quot divitis oſtia Nili.* Ubi repereris, quo pretio redimes? Sed mitte operoſas Maſſoretharum nugas, ſcripturamque Hebraïcam revoca ad nativam ſimplicitatem, innumeri unâ nocte exorientur, promti omnes, periti &, quod etiam laudem meretur, æquâ mercede conducibiles. Erit enim, punctis & accentibus ſecluſis, librorum Hebraïcorum impreſſio multò quàm Gallicorum aut alterius cujuſvis idiomatis facilior. Non incerta loquimur. Sunt tantùm viginti duo characteres Hebraïci, quibus ſi ſex finales addideris, habebis viginti octo. His adjice majuſculos viginti duos, ſumma Typorum & conſequenter loculorum ſeu capſularum, *Caſſetins,* erit quinquaginta. Nullæ ligaturæ, nullæ abbreviationes, nullæ litteræ italicæ. Sic longè plures libri Hebraïci typis mandari poſſent, correctiúſque & minore ſumtu. In iis legendis ſe ſe exerceret audacior Juventus, & alliceretur ad Linguæ ſtudium facilitate lectionis.

X.

Facto novæ Grammaticæ experimento, talis reperta est qualis asseritur; simulque exponitur quomodò inventa sit.

ETSI in novæ Grammaticæ confirmationem argumentorum satis superque congestum nonnullis fortasse videbitur, alii tamen præcipuum deesse causabuntur, nisi simul ostendatur ejus, non irrito eventu, factum esse experimentum. Tot enim, inquient, hactenus in omni genere artium vulgatæ sunt novæ Methodi, quibus planiorem fore ad eas comparandas viam prædicabatur, quæ propiùs consideratæ & ad praxim adductæ, inventæ sunt aut impossibiles, aut inutiles, aut saltem non minùs difficiles illis, quibus asserebantur præferendæ. Forsan & idem huic novæ Grammaticæ continget.

Non continget, uti speramus. Experimento enim comprobavimus ejus subsidio posse Tyrones ad accuratam Linguæ Sanctæ notitiam certo ac celeri gradu perduci. Rem sincerè, ut gesta est, exponemus, certi non injucundum esse Viris eruditis discere quibus gradi-

bus ad difficiliorum problematum solutionem perventum sit, indeque eos non leve ducturos argumentum, quo novæ Grammaticæ præstantia confirmetur.

Sub finem anni 1693. novæ Grammaticæ Auctor jam tertium à studio Linguæ Hebraïcæ deterritus, ac propè ei nuntium missurus ob difficultates quæ sese in ipso Grammaticæ consuetæ limine offerebant, præcipuè ob angustias ad quas adigebantur Hebraïzantes, cùm eis legenda ac explicanda porrigebantur Biblia punctis destituta; disquirere cœpit, numquid condi posset Grammatica, quæ Linguam Hebraïcam doceret absque punctorum Massorethicorum interventu. Sciebat recens esse inventum, olimque Linguam Hebraïcam absque eorum subsidio disci solitam. Hinc concludebat fieri posse, ut etiam nunc eâdem viâ legeretur ac disceretur.

Re attentè consideratâ agnovit nullâ aliâ de causâ puncta videri necessaria, nisi quòd in vocabulis Hebraïcis plerumque absint vocales, sine quibus clarum est nihil legi posse. At simul etiam agnoscebat eas jam pluribus in locis adesse. Nec enim poterat in animum inducere litteras א ה ו י ע nihil aliud esse

quàm meras consonantes. His ergo pro vocalibus admissis, existimabat satis fore ad lectionem instituendam, si in locis, in quibus revera deerant vocales, mente subintelligerentur: nec referre quænam subintelligerentur cùm tota vis significandi in solis scriptis characteribus esset constituenda.

Ad pronunciationem verò quod attinet, censebat parùm aut nihil referre quâ ratione pronunciaret, an Veterum, an Massoretharum more, aut aliquo alio à cæteris prorsùs diverso; dummodo seipse intelligeret, regulasque pronunciationis haberet faciles ac constantes; id est, quibus sciret quæ & quibus in locis vocales essent supplendæ. Examinatis igitur pluribus modis hujuscemodi vocales subintelligendi, eorumque commodis & incommodis inter se libratis, ille tandem occurrit, qui hujusce Grammaticæ initio descriptus est, & quem judicavit primo intuitu planè commodum ac facilem. Cùmque eâ ratione Textum Hebraïcum legere tentasset, obstupuit se paucorum momentorum spatio factum esse scripturæ cujuslibet Hebraïcæ lectorem citissimum & exercitatissimum; quod ex aliâ Methodo vix post annos complures obtineri potest.

Lætus invento, ut arbitrabatur, tam utili, inquisivit illicò utrùm cum hâc novâ legendi pronunciandique ratione conciliari posset Grammatica; id est, utrùm, seclusis punctis solarumque litterarum ope, distingui possent partes omnes sermonis Hebraïci, earumque diversæ modificationes & inflexiones.

Ac primò quidem clarè perspicere sibi videbatur nullam fore in tali Grammaticâ difficultatem circa partes orationis indeclinabiles: quippe quæ per seipsas, id est, per ipsas litteras à quibuslibet aliis distinguantur. Censebat ergo Lexicorum ope cognoscendas esse significationes omnes illarum dictionum eâdem facilitate in novâ Grammaticâ quâ in veteri.

Accedens deinde ad alias orationis partes quæ varias modificationes seu inflexiones recipiunt, id est, quæ declinantur & conjugantur, cognovit statim facilè distingui solis characteribus, secluso punctorum ministerio, Genera, Numeros & Casus nominum, pronominum ac participiorum. Agnovit similiter idem ferendum esse judicium de præcipuis communioribusque verborum modificationibus. Videbat enim Præteritum à Futuro nullo negotio distingui, cùm utriusque temporis

formativæ litteræ sint prorsùs diversæ. Personas tum Præteriti tum Futuri etiam à se invicem propriis characteribus discriminari : conjugationem *Kal*, quoad magnam partem, à Conjugationibus *Niphal*, *Hiphil*, *Hophal* & *Hithpaël* peculiari aliquo charactere differre : denique quatuor istas conjugationes non tantùm à conjugatione *Kal*, sed à se invicem, saltem quoad bonam partem, eâdem ratione discrepare.

Videbat quidem, & fieri non poterat quin videret, nullatenus posse conjugationes *Piel* & *Pual*, necnon & *Poël*, distingui à conjugatione *Kal*, cùm ab eâ solis punctis reipsa distinguantur. Sed tantùm abest ut id verteret incommodo; ut arbitraretur utile esse tres illas conjugationes resecare, hocque compendio Grammaticam fore faciliorem.

Omnis ergo difficultatis cardo versabatur circa modificationes quasdam dictionum, quæ per characteres solos detegi non poterant, certaque vocabula quorum sensus, si puncta excludantur, ad hanc vel ad illam significationem est per se indifferens.

At primò clarum ei erat difficultatem hanc ipsi non fore peculiarem, sed communem esse iis omnibus qui

Bibliis non punctatis uti vellent. Animadvertebat deinde & illud ipsum in controversiam jure vocari posse, ut reipsa vocatur, num voces illæ dubiæ significationis, si soli characteres spectentur, sint determinandæ ad significationes, modificationesve, quæ ipsis punctatione Massorethicâ tribuuntur. Demum sibi persuadebat antecedentia & consequentia satis ut plurimùm fore ad aperiendum sensum dictionum dubiæ significationis; uti fit in Linguis omnibus, sive mortuis, sive vigentibus.

Cùm ergo difficultates tantùm occurrerent, quæ labore ac constantiâ superari posse viderentur, Textûs Hebraïci loca quædam sumsit interpretanda. Noverat enim ad id operis inchoandum minimè necessarium esse ut haberet in comperto omnia Grammaticæ arcana: censebatque satis fore regulas, quas consuetæ Grammaticæ suppeditabant, ad discernendas nominum verborumque modificationes per solas litteras, & omissis punctis. Prima interpretationis tentamenta ultra spem successêre, paucisque diebus vix superfuerunt difficultates, quæ opus institutum vel tantillùm morarentur.

Paucos hactenus libros legerat de

Sacræ Scripturæ Criticâ tractantes: aliò quippe collinearant illius studia. Per id igitur temporis, opere quod meditabatur satis superque admonente, legit celebrem R. Simonii *Historiam Criticam* Veteris Testamenti. In eâ non pauca animadvertit quæ consilii sui utilitatem haud dubiè confirmabant. Quæ de L. Cappello dicebantur, persuadebant ferè jam ab illo promulgatam fuisse Methodum ei similem quam mente volvebat. Hujus ergò sacram Criticam avidè pervolvens, vidit quidem magnum illum Virum ubique prædicare Grammaticæ istius utilitatem ac necessitatem; regulas ponere valdè utiles ad sacrum Textum intelligendum per solas litteras, & absque punctis Massorethicis; summopere optare ut ab aliquo tandem constitueretur Grammatica suis principiis consentanea: at vidit simul ipsum nec constituisse, nec etiam ausum asserere talem Grammaticam posse reipsâ constitui: idque eam solam ob causam, quòd hactenus nulla inventa esset ratio legendi Hebraïcè Massorethicâ certior & commodior.

Cùm ergo ad manum adesset ratio legendi absque punctis, quam Cappellus ignorabat, quamque Massore-

thicâ certiorem & commodiorem esse ratione & usu ipse didicerat; collegit à se tandem repertum esse quod tandiu Cappellus & alii quæsierant. Suscepto igitur operi absque intermissione insistens, & opitulantibus Bellarmini ac Buxtorfii Grammaticis, sed usui suo accommodatis, id est, neglectis regulis omnibus quæ ad puncta quoquo modo pertinent, intra paucos menses Textum Sacrum Hebraïcum integrè ac feliciter est interpretatus. Pari successu Textum Chaldaïcum Danielis & Esdræ Paraphrasesque Chaldaïcas omnes evolvit, Versionisque tam Syriacæ quàm Samaritanæ partes non contemnendas; usuque comprobavit novam hanc Methodum non minùs illis Linguis edifcendis quàm Hebraïcæ esse idoneam. Harum Linguarum prima rudimenta cùm novâ Grammaticâ paulò post emisisset in lucem, nisi ad alia fuisset vocatus, simulque impedimenta, quæ superare non potuit hactenus, supervenissent.

Non ergo proponit inventum de cujus effectibus conjiciendo tantùm loquatur. Experimentum enim ipse fecit, taleque experimentum quale possit in simili negotio exoptari. Si

jam Hebraïcam Linguam sciviffet, meritò timeretur, ne novæ Gramaticæ tribueret quod accepiffet à veteri. At sciunt quibus notus eft, teftabunturque illum, cùm primùm novâ hâc Grammaticâ ufus eft, Linguæ Hebraïcæ fuiffe omnino rudem; imò etiam nunc dum hæc fcribit, ignota illi effe quæcumque de punctorum ufu ac mutatione dicuntur, ipfam etiam ignotam punctorum quorumdam figuram ac pronunciationem. Quod spectat tempus in edifcendâ Linguâ Hebraïcâ infumtum, non eft quòd de illius diuturnitate conqueratur. Monere fufficiat illud futurum fuiffe brevius, fi adfuiffet Grammatica ei fimilis quam publici juris facit.

Ulteriùs in hâc editione progredi licet, Reipublicæque litterariæ non jam unicum experimentum, fed multiplex, proponere. Ex quo prodiit nova Methodus, non tantùm excellentiffimi ingenii fectatores, fed quod longè feliciùs, Profeffores primi fubfellii nacta eft in eâ Urbe, quæ doctos homines in quâlibet Facultate plures quàm alia quævis complectitur.

Doctiffimus Academiæ Parifienfis Syndicus D. Edmundus Pourchot, Vir excellentis ingenii, limatique judicii,

persuasus demum inventam esse Grammaticen à Criticorum celeberrimis tandiu exoptatam, factis ipsis demonstrare voluit illam talem esse qualem promiseram. Paucis ergo mensibus non paucos Philosophiæ Theologiæque alumnos ita instituit, ut solius novæ Grammatices adminiculo Textûs Hebraïci loca difficiliora, spectante doctissimo cœtu, ad verbum explicarent, rationemque omnium partium Orationis expedirent.

Idem variis in locis factitatum, non minùs prospero licet minùs publico successu. Discipulos habet nova Methodus in eruditissimis quibusque Sodalitiis, quorum plurimi Antesignanum suum ingenio, & eruditione superant, novæ Grammaticæ futuri, si sit opus, assertores & vindices.

XI.

Solvitur prima objectio petita è falsitate novæ pronunciationis, seu discordantiâ ejus à veteri.

STABILITIS novæ Grammaticæ principiis, superest ut quæ adversùs illam objici possunt explicentur & diluantur.

Objicitur ergo novam pronuncia-

tionem falsam esse, hoc est, ab antiquâ quâ prisci Hebræi utebantur, prorsùs diversam.

Concedimus. Sed primò supra demonstratum est 1. Ignorari nunc veterem illam pronunciationem. 2. Nullam illius recuperandæ spem relinqui. 3. Ab eâ nec parum nec in paucis recedere Massorethas. Nihil ergo tam speciosâ objectione contra novam Methodum efficitur.

Secundò, verum est nostram hypothesim, id est, novam pronunciandi rationem falsam esse, & à veterum Hebræorum pronunciatione discrepantem. Agnoscimus enim ultrò Veteres non semper subintellexisse vocales post consonantem quamlibet, nec eas subintellexisse quas subintelligendas docuimus. At quantumvis falsa dicatur hæc hypothesis, non tamen inveniendæ veritati officit, imò ad eam confert omninò. Notum est iis qui in Geometriâ aut Arithmeticâ vel leviter versati sunt, reperiri quotidie, falsa quædam supponendo, plurimarum quæstionum solutiones, quæ aliâ viâ frustra quærerentur: eâque de causâ regulas quasdam vocari *Falsarum positionum* aut *suppositionum*. Idem sæpè fit in Physicis nec minore successu. Fal-

ſum ſit exempli causâ, quod docet Carteſius, in glande dictâ *Pineali* ſedem eſſe animæ. An ideo ruit Methodus quâ pleraſque animæ affectiones ac ſenſationes explicat? Quamcumque ſedem ipſa occupet, nonne ſemper eodem modo, propter legem inter corporis motus & cogitationes mentis à Deo ſancitam, erit ratiocinandum, ac ſi reipſa in glandulâ illâ reſideret? Similiter quocumque tandem modo veteres Hebræi ſacrum Textum pronunciarint ac legerint; ita ſemper habitâ litterarum & vobabulorum ratione erit explicandus, ac ſi eo modo lectus fuiſſet, quo legendus præſcribitur in novâ Methodo.

Tertiò, in hujuſcemodi negotio neceſſe non eſt veritatem undequaque adipiſci, ut patet è duobus modis quibus pronunciatur hodie utraque Lingua Græca & Latina. Ex his enim unus neceſſariò falſus eſt, ſive à veteri pronunciandi modo diverſus, qui tamen ad exactam Linguæ notitiam comparandam ſufficit. *Quid noſtrâ intereſt*, inquit Ludovicus Cappellus Arcan. punct. lib. 2. cap. 19. n. 4. *etiamſi Hebraïca non eodem modo accuratè pronunciemus quomodo efferebantur à Moſe aliiſque Prophetis? Non enim ſonus*

vocum aut aër inter loquendum percussus, sed mens sensusque & significatio eorum quæ vel dicuntur vel scribuntur, quum intellecta & percepta sunt, fidem nostram gignunt, fovent, alunt. Jam verò mens & sensus Hebraïci contextûs haberi potest, etiamsi punctatio non accuratè referret pronunciationem quæ à Mose reliquisque sacris Scriptoribus usurpabatur &c.

Quartò, quomodocumque tandem Antiqui Textum sacrum pronunciarint ac legerint, certum est in novâ Methodo ita legi, ut ab eorum sensu ne latum unguem recedatur, cùm vocales subintellectæ nihil omninò ad sensum faciant. At idem de Massorethicâ Methodo asseri non posse suprà clarissimè ostensum est.

Quintò, addi potest novam Methodum non carere omni prorsùs fundamento in Antiquitate. Veteres enim Latini non rarò post consonantem subintelligebant illius vocalem, id est, eam vocalem quam *auxiliarem* nominamus, quæ nempe proximè conjuncta est consonanti in nomine ipsius *artificiali* ab *Artis* Grammaticæ Doctoribus invento, & cujus *auxilio* consonans illa pronunciatur. Scribebant *bne*, *ptre*, ubi scribendum fuisset *bene*, *petere*. *Krus*, *Knus* pro *Karus*, *Kanus*. *Kr-*

tago, *Klumnia*, *Klendæ* pro *Kartago*, *Kalumnia*, *Kalendæ*. *Jugrum* pro *Jugerum* &c. Idem à Græcis factitabatur. Consuli possunt Gruterus in *Inscriptionibus* p. 202. Josephus Scaliger *Observationibus* in Eusebii Chronicon p. 114. Thomassinus *de Linguis* lib. 2. c. 10. &c.

Potuissemus quidem pronunciationem inducere quæ ab antiquâ longè minùs discessisset. At incidissemus in incommodum quod omnimodo vitare voluimus. Multiplicandæ fuissent regulæ ac exceptiones. At nova pronunciatio unicâ nititur regulâ, quæ nullam admittit exceptionem. Quod qui attentè consideraverit, is profectò fatebitur non potuisse brevitati ac facilitati magis consuli. Quibus dotibus si adjunxerit normâ istâ pronunciandi sensum Scripturæ nobis exhiberi vel minimæ alterationis expertem, fieri non poterit quin hæc omnia ita conjungi potuisse gaudeat, eâque de re nobis gratuletur.

XII.

Solvitur secunda objectio petita ex confusione quæ novâ legendi ratione in Textum sacrum introducetur.

OBJICITUR secundò. Si nova legendi ratio admittatur, summa nascetur in Textu confusio. Non poterunt distingui numeri, genera, personæ, modi, tempora, voces, conjugationes, imò nec ipsæ radices; hæc enim omnia sæpissimè solis punctis differunt: sicque innumeris sensibus patebit ferè qualibet Textûs particula. At indè quàm promta & facilis occasio Christianæ & Catholicæ veritatis hostibus, loca etiam clariora Scripturæ ad suam aliorumque perniciem detorquendi.

Verùm si quis rem propiùs considerret, pro certo habebit hâc objectione minimè labefactari, imò nec impeti novam Grammaticam.

Primò, facilè agnoscet omnia hujusmodi incommoda nasci ex ipsâ indole Linguæ Hebraïcæ, aut saltem ex modo quo scribi consuevit, uti demonstrant Critici probatiores, nec nisi injuriâ posse in novam Methodum refundi. Linguam Hebraïcam ambiguam,

confusam, obscuram, qualis re ipsa est, nobis exhibet nova Grammatica; rejicienda procul dubio ut falsa ac Linguæ illius indoli dissona, si eam aliter nobis repræsentaret.

Secundò, si quæ ex illâ ambiguitate oriuntur incommoda, emergunt & commoda quibus magno fœnore compensantur. 1°. Enim hinc paratur via Translationes antiquas & in Ecclesiâ receptas cum Textu conciliandi, apertèque demonstrandi eas non rarò accuratiores esse & Textui magis consentientes, quàm quæ cusæ sunt à novis Hebraïzantibus, qui non tam Scripturas ipsas quàm Massorethicam interpretationem interpretati sunt. 2°. Non aliâ magis ratione subvertitur præcipuum eorum, qui ab Ecclesiâ secessêre, principium: Scripturam sacram ex se claram & plenissimam sui interpretem. Quò major enim Textûs ambiguitas, eò magis ad auctoritatem falli nesciam confugiendum, quæ componat lites & verum Scripturæ sensum aperiat.

Sed ad solvendam objectionem propiùs accedamus. Primùm ergo quærimus quâ arte partes omnes sermonis Hebraïci distinguerentur olim, & etiam nunc distinguantur ab iis à qui-

bus leguntur Biblia punctis destituta. Nobis non est quàm iis difficilius partes istas distingere. Deinde etiam in Methodo Massorethicâ periculum ne multa simul confundantur. *Nonne omnes sacrorum Scriptorum hodierni Interpretes*, inquit Ludovicus Cappellus Vindic. arcan. punct. lib. 2. cap. 12. n. 4. *hodiernam sequuntur punctationem? Et tamen innumeris in locis à se diffident in interpretatione propter vocum licet punctatarum ambiguam significationem & phraseon amphibologiam.*

Verùm nemini vanus timor incutiendus. Id enim periculi vel in novâ Methodo longè minùs frequens minúsque grave quàm fingitur. Si quæ enim occurrunt dictiones quarum sensus, si solæ spectentur, ambiguus esse possit; tamen si jungantur iis quæ præcedunt ac subsequuntur, liquidò constabit de legitimo genuinoque earum sensu: raraque sunt exempla in quibus ad eruendum istum sensum, æquivocationemque cavendam, non sufficiat loci constructio ac series. Nec est ullum Idioma tam ex iis quæ mortua sunt, quàm ex iis quæ nunc vigent, in quo ad sensum verborum eruendum necesse non sit ad eamdem regulam sæpius recurrere. Concedimus in Hebraï-

cà

câ Linguâ, utpote cæteris magis obnoxiâ ambiguitatibus & æquivocationibus, id contingere frequentiùs. At nihil indè concludi poteſt contra novam Grammaticam. Concedimus, ad detegendum quem ſenſum locus exigat, ſano judicio opus eſſe. At non credimus fore, ut qui iſtâ excellentiore animi parte deſtituuntur ſtudiis Hebraïcis judicentur idonei.

Nodum iſtum ſolvunt eodem modo Hebraïzantium doctiſſimi. *Aiunt*, inquit P. Martinius Technologiâ p. 36. & ſeq. *omnia fore incerta in ſacris Libris, hoc autem vehementer exaggerant: magnam ſcilicet aperiri feneſtram ad ſpargendos errores; ſuum cuique arbitrium in divinis oraculis legendis atque interpretandis fore; nihil firmum, nihil ratum; denique futurum ut tota Religio nutet & vacillet.* En objectio nobis facta, cui ſic reſpondet. *Grave incommodum, fateor, ſi verum eſſet. At neque verum eſt, ut mox docebo, neque verè adverſùs hiſtoriæ fidem objicitur. Quid enim poteſt negari? Diſſenſiſſene Interpretes? At res eſt ante oculos. Cauſamne lectionis ut plurimùm ex ambiguâ lectione ortam eſſe? Hoc quoque apparet. Quid igitur? Hæc, inquiunt, non negamus, ſed incommodum inde conſequens veremur. Hoc quale ſit modò videro. Sed interea*

Logicæ imperitia magna est manifesta negare, quod objectiones contrarias explicare nequeamus ..... Verumtamen illud incommodum, quod tantopere extimescunt, quale sit jam videamus. Incerta, inquis, erunt omnia in Libris sacris si puncta defuerint. Deum immortalem, quid audio! Tota Hebræorum sapientia in libris Thalmudicis, & Rabbinicis (quæ multa sunt) sine punctis tradita est, & sine punctis legitur, & publicè in scholis exponitur, neque quisquam est qui incerta illis esse omnia conqueratur. Et tu mihi reclamabis Hebræa scripta sine punctis incerta esse, neque te protinus ab ipsâ rerum experientiâ convinci refellique senties? Ambigua equidem non pauca in iis esse confiteor, sed ea non tantùm lectio, verùm significatio multiplex peperit, qualia etiam in aliis Linguis permulta licet animadvertere. Neque id sanè mirum videatur. Rerum enim quàm verborum multis partibus major copia est. Itaque nulla est Lingua quæ ex ambiguitate non laboret. Atqui nemo tamen idcirco incerta omnia esse clamitat. Sed è manifestis dubia, ex dilucidis ambigua, è perspicuis obscura illustrare conatur. Est enim certa ratio quâ his incommodis occurritur, & de quâ isti non videntur cogitasse. Grammatica & Rhetorica magnum ad id præstant adjumentum, sed multò majus præsidium est in Logicâ,

quæ rationum sententiarumque seriem videt, antecedentia cùm consequentibus comparat; & ex partium omnium collatione quale totum sit dijudicat. Hâc ratione in Linguis omnibus ambigua distinguuntur. Quare nihil est cur ambiguitatis periculum sine punctis tantopere vereamur, ut propterea incerta omnia fore dicamus: quippe cùm id optimâ ratione caveatur, neque Hebrææ Linguæ proprium, sed omnium Linguarum commune esse videatur.

Non absimilia habet L. Cappellus Arcan. punct. lib. 1. cap. 19. num. 6. & lib. 2. cap. 22. n. 6. Item cap. 19. num. 9. & 10. ubi rem illustrat exemplo aptissimo scripturæ manu raptim exaratæ, qualia sunt Notariorum scripta, quæ Galli vocamus *Minutes*. In his occurrunt passim multi litterarum ductus, qui separatim considerati varias possunt designare litteras. Collati verò cum iis quæ præcedunt & sequuntur nihil negotii facessunt legentibus. Sic plurimæ voces Hebraïcæ, cùm per se spectantur, ambiguæ, in serie orationis certam habent determinatamque significationem.

Non est ad tertiam objectionem transeundum, nisi priùs difflatâ nubeculâ, quam Vir clarissimus D. Fourmont Regius Linguarum Orientalium

Professor animadvertit in his responsionis nostræ verbis. *Linguam Hebraïcam ambiguam, confusam, obscuram, qualis reipsa est nobis exhibet nova Grammatica, rejicienda procul dubio ut falsa ac Linguæ illius indoli dissona, si eam aliter nobis repræsentaret. Audax*, inquit litteris ad me datis mense Julio anni 1716. *& insolens assertum, quo ambiguitas constituitur character essentialis ac nativus Linguæ Hebraïcæ. Possunt, ut concedis, aliæ Linguæ claræ esse, omnemque amphibologiam vitare. At nisi sermo Hebraïcus ubique ambiguus sit, si tibi credimus, continuò Hebraïcus esse desinit. Quo ergo pacto scribi, legi intelligive poterit?*

Quid vellemus non satis intellexit eruditus Professor. Hebraïcum idioma in duplici statu considerari olim potuit. 1°. In ore loquentium. 2°. Prout inest in Libris sacris absque punctis. In secundo statu magis ambiguum est quàm in primo. Punctis enim vocalibus omissis paucissima loca reperire est, in quibus non adsint vocabula duplicis significationis capacia. Vivente verò Lingua Hebraïca, qui Hebraïcè loquebatur, vocales exprimebat quibus vocabulorum significationes innotescebant. Tunc agnoscebat ut plurimùm audiens ex ipsâ pronunciatione, an vo-

cabulum, quod ad illius aures veniebat, nomen esset, an verbum activum, an passivum &c. Idem etiamnum contingit cùm juxta ritum Massorethicum sermo enunciatur.

Ad hanc distinctionem animum attenderet D. Fourmont; nihil hîc censurâ dignum inveniret. Primò de Linguâ Hebraïcâ loquor in eo statu consideratâ, quo in Libris sacris extat sine punctis. Mentem meam satis aperiebat novæ Grammaticæ scopus. Non enim Veterum pronunciationem redivivam sistere, sed Textum Hebraïcum absque punctis intelligendi viam monstrare decrevi. Deinde agnovisset Vir doctus Linguam Hebraïcam in eo statu ambiguam esse, confusam & obscuram, ac proinde novâ Grammaticâ talem exhiberi qualis est. Nova quippe pronunciandi ratio Textûs ambiguitatem non tollit, uti tollit Massorethica. Hinc denique collegisset rejiciendam fore nostram Methodum ut falsam ac genio Linguæ, ut est in Libris sacris, dissonam, si claram & homonymiis purgatam repræsentaret. Nec vitio duxisset singularem novæ Grammaticæ dotem. Hanc potius laude dignam judicasset, quod unicam & tam diu expetitam commonstret viam Hebraï-

ca difcendi nullis hominum additamentis deformata.

Quod ait dixiffe me alias omnes Linguas præter Hebraïcam poffe amphibologiam omnem vitare, nec me dicere memini, nec dicere debui. Cui enim ignotum nullam effe quæ homonymias & amphibolias omnes excludat, quamvis verum fit in nullâ (de notis loquimur) tot occurrere quot in Hebraïcâ?

Nec dixi fermonem Hebraïcum, nifi ubique ambiguus fit, defınere effe Hebraïcum. Id unum dixi: Hebraïcus fermo, nifi cùm pronunciatur æquè ambiguus fit, ac cùm legitur, defınit effe qualis reipfa ést in facro Textu. Non infcius fum multa illic reperiri etiam fine punctis omnino perfpicua.

XIII.

Solvitur tertia objectio ex eo incommodo petita, quod fi quis novâ Methodo uti velit, neminem ipfe Hebraïcè loquentem intellecturus fit, viciffimque à nemine fit intelligendus.

Militat propriè contra novam Methodum hæc objectio & tres fequentes. Continent enim præcipua ac ferè omnia novæ Methodi incommo-

da. Quamobrem duo hîc & à nobis & à Lectoribus censemus præstanda. Primùm quidem de eorum incommodorum gravitate aut levitate judicandum est. Deinde comparanda ipsa sunt cum incommodis Methodi Massorethicæ.

Objicitur ergo tertiò. Si quis novam legendi rationem sectari velit, neminem Hebraïcè loquentem intelliget, & vicissim à nemine ipse intelligetur.

Non negamus eos qui novam legendi rationem sequi voluerint non intellecturos eos, qui Linguam Hebraïcam juxta Massoretharum regulas pronunciabunt, nec vicissim ab eis esse intelligendos. Quod quidem incommodum esse libenter concesserimus; at pariter speramus nobis concessum iri leve admodum esse illud, ac nullius prope momenti.

Nam primò intelliguntne sese invicem qui hodie loquuntur Hebraicè, licet se punctationi Massorethicæ adhærere profiteantur? Ab harumce rerum peritis narratur Judæos Orientales aliter pronunciare quàm Occidentales; Hispanos aliter quàm Germanos; Samaritanos aliter quàm Judæos.

Secundò, si quis objiceret ei qui veterem quam dicunt Linguæ Græcæ pronunciationem sequi vellet, ipsum

non ampliùs intellecturum eos à quibus aliter ea Lingua pronunciatur ; censerent certè Eruditi omnes parum urgentem , imò propè futilem esse hujusmodi objectionem.

Tertiò , rarus est hodie eorum numerus qui Hebraïcè colloqui possint : rariores adhuc casus in quibus necesse sit loqui Hebraïcè. Quid ergo interest quam pronunciandi rationem sequamur ?

Quartò , cùm de Textûs sacri intelligentiâ disputatur , non curat qui in hujuscemodi studiis non est omnino peregrinus , quomodo pronuncientur ab Adversario loca controversa ; sed observat tantummodo quomodo scripta sint.

Denique si non displicet nova Methodus, habebunt brevi qui eâ utentur, quos Hebraïcè loquentes intelligere , & à quibus intelligi possint. Cartesium non deterruisset à proposito , qui id argumenti objecisset. Si tuam Philosophandi rationem sectari voluero , Philosophantes alios non capiam , nec quæ Philosophans eloquar , ab aliis percipientur. Subjunxisset enim Cartesius. Da moram , quæso. Philosophare primò tecum , novaque principia quantùm potes sedulò meditare. Si ea bo-

na repereris, perge alacriter, securus brevi nacturum te quos intelligas, & à quibus intelligaris.

Nullum ergo est aut procul dubio levissimum quod hîc opponitur incommodum.

XIV.

Solvitur quarta objectio inde petita, quòd qui novâ Methodo utetur nomina propria vix agnoscet.

SÆPE nomina propria aliter pronunciantur ex novâ Methodo, aliter in Vulgatâ aliisque Versionibus. At quid indè inferri potest, quo vacillet nova Methodus?

Primò enim quærere libet quâ ratione dignoscerentur nomina propria in Textu Hebraïco, antequàm invenirentur puncta Massorethica.

Secundò, quâ ratione etiam nunc dignoscantur, cum leguntur Biblia punctis destituta.

Tertiò, quâ denique ratione qui assueverunt pronunciandis nominibus propriis juxta Versionis Vulgatæ morem, ea ipsa nomina dignoscant cùm ea legunt juxta pronunciationem Massorethicam. An difficilius est dignoscere exempli causâ quòd *Darious*, ut

pronunciamus, sit *Darius*, quàm *Dariavesch*, uti pronunciant Massorethæ? quòd *Aessourous* sit *Assuerus*, quàm *Achaschveros*? quod *Iezakal* sit *Ezechiel*, quàm *Jechezchel*? An major propinquitas inter *Isaias* & *Jeschahia*, quàm inter *Isaias* & *Isaie*? Non ergo erit difficilius nomina propria agnoscere in novâ Methodo quàm in veteri.

Fatemur reperiri nomina quædam quæ in novâ Methodo longiùs distant, quantùm ad pronunciationem, à nominibus propriis Editionis Vulgatæ, quàm in veteri. Verbi gratiâ pro *David* legimus *Douid* & sæpè *Doud*, pro *Israël*, *Issiral*, pro *Isboseth*, *Aißbessith* &c.

Verùm sunt viciſſim in novâ Methodo quamplurima nomina, quæ à Vulgatæ nominibus longè minùs distant. Legimus enim *Ezakie*, *Iremie*, *Phines*, *Rebam*, ubi Tremellius ait Massorethas legere *Chiskia*, *Iirmeia*, *Pinchas*, *Rechabgham* &c.

Sunt etiam non pauca quæ in novâ Methodo eodem aut ferè eodem modo pronunciantur ac in Vulgatâ. Talia sunt *Adam*, *Enouch*, *Lamech*, *Jacoub*, *Asa*, *Baal*, *Heberon*, *Bethlém*, *Sisara*, *Tsabaouth* &c.

Adde quòd si qua sit in discernen-

dis hisce nominibus difficultas, ea statim Orationis serie aut brevi usu tollitur. Hoc ergo etiam incommodum aut nullum est, aut præcedenti levius.

XV.

Solvitur quinta objectio, eum qui novam Methodum sequetur non intellecturum voces Hebraïcas, quæ passim aliis quàm Hebraïcis characteribus scriptæ occurrunt.

EJUSDEM generis est hæc objectio ac præcedens, nec majoris efficaciæ.

Nam primò cùm non pronuncientur ubique eodem modo ab omnibus voces Hebraïcæ, quærimus ab Adversariis quomodo eas characteribus Latinis exaratas intellecturi sint qui diversæ rationis pronunciationi addicti fuerint. Eâdem certè prementur difficultate quâ novæ Methodi sectatores.

Secundò, multi & rectè quidem sentiunt non expedire ut, si quæ voces Hebraïcæ citandæ sint, aliter scribantur quàm Hebraïcè, paucissimis exceptis, quales sunt librorum quorumdam notissimorum tituli, ac vocabula nonnulla artis grammaticæ, quæ *Technica* vocari possunt. Nam qui ejusce modi voces

lecturi sunt. aut sciunt Hebraïcè, aut nesciunt. Si sciunt, mallent eas voces propriis characteribus exaratas esse quàm alienis. Si nesciunt, non magis intelligent sub illâ peregrinâ formâ, quàm si proprio cultu offerentur. Eam ob causam à paucissimis probantur qui voces Græcas imprimi faciunt characteribus Latinis.

Tertiò, voces Hebraïcæ quæ characteribus Latinis eduntur, aut frequenter occurrunt, aut rariùs. Si sunt communioris usûs, eo ipso facilè intelliguntur tam in novâ Methodo quàm in veteri. Hinc paucis obscurum est, quid sit *Keri* & *Chetib*, *Silluk*, *Soph Pasuk*, Liber *Beressith*, *Sepher Tehillim*, cæterique librorum communiorum tituli &c.

Quod verò spectat ad voces quæ rariùs occurrunt; revocandæ sunt ad suas radices separando litteras essentiales à non necessariis, serviles à radicalibus, vocales à consonantibus: sic intelligetur quid significent. Hinc satis promtè detegitur *Medraschim* originem ducere à דרש *quæsivit*; *Scorassim* à שרש *radix*; *Miclol* à כלל *perfecit*. Radicum modificationes, id est, augmenta & crementa quibus formantur genera, numeri, personæ, tempora,

modi, leviore adhuc negotio dignoſcuntur. Eſto; majori opus ſit mentis attentione in novâ Methodo ad ſubmovendam illam caliginem, quod fortaſſe non ab omnibus concedetur: at ſubmoveri poteſt adhibito ſtudio, nec tale eſt incommodum, ut idcircò repudiari debeat nova Grammatica.

XVI.

Solvitur ſexta objectio indè ducta, quòd qui nova Methodo utetur colloqui aut diſputare cum Judæis non poterit.

ISTUD incommodum multò gravius eſt. At plurima ſunt quæ gravitatem illius non parùm imminuant.

Primò, conſtat pauciſſimos eſſe inter eos, quorum intereſt ſcire Hebraïcè, quibus ſpes locuſve ſit cum Judæis differendi. Atqui eos duntaxat tangit incommodum quod objicitur.

Secundò, cùm non eodem modo Hebraïca Lingua pronuncietur ab omnibus qui eam excolunt, propoſita objectio non magis impetit novæ Methodi ſectatores, quàm alios quoſlibet, qui aliter pronunciant ac Judæi. Imò cùm ipſi circa pronunciationem diſſentiant, ſequitur eâ objectione omnes urgeri, aut potiùs urgeri neminem.

Tertiò, ubi scripto res geritur, si præsertim geratur inter paulò doctiores, nec ad puncta nec ad pronunciandi ritum ullus habetur respectus.

Quartò, nec etiam cùm res voce geritur impossibile erit iis qui novâ Methodo utentur cum Judæis differere. Id ipse non semel expertus sum, in colloquiis habitis non tantùm cum *Daniele Zei*, & *Eliâ Prag*, sed & cum aliis quibusdam; non enim curant Judæi quomodo pronuncietur Hebraïcè.

Prætereà qui Hebraïcè didicerit juxta novam Grammaticam, is brevi poterit è veteri Grammaticâ decerpere quicquid ei necessarium erit ut cum Judæis disputet. Sufficiet ut legat pronuncietque more Judæorum. Qui ergo conjiciunt fore ut aliquando cum Judæis vivâ voce disputaturi sint, nullatenus existimare debent noxiam sibi inutilemve fore novam Grammaticam. Operæ pretium erit tantummodo ut pronunciationem Massorethicam discant; eo ferè modo ac qui Græcè sciunt juxta communem Dialectum, Dialectos Ionicam Doricamve penitiùs scrutantur, cùm libros Ionicâ Doricâve Dialecto conscriptos legere adoriuntur.

Cæterùm ne quis ea vellicet quæ hîc

& supra de variâ Judæorum pronunciatione diximus, visum est Richardi Simonis, Viri, si quis unquam, harumce rerum periti testimonium annectere. Sic autem loquitur Biblioth. Select. tom. 1. art. 36. pag. 269. *Les Maîtres Juifs d'Italie, faute d'avoir une Version Italienne qui puisse leur servir de regle pour l'interpretation des mots Hebreux, sont si différens les uns des autres sur l'interpretation de ces mots, qu'ils ne s'entendent pas le plus souvent eux-mêmes : & quand leurs disciples changent de Maîtres, ils changent en même temps de langage, comme s'ils avoient passé dans un autre païs. C'est pour remedier à cette confusion que Leon de Modene a composé son Dictionnaire Hébreu Italien ; & qu'il y a en même temps ajoûté une petite Grammaire ; parce que c'est un défaut répandu generalement parmi tous les Juifs, qu'ils apprennent la Langue Hébraïque par usage & sans regles. C'est pourquoy la plûpart des Juifs pour n'avoir point appris d'abord la Langue Hébraïque par regles sont incapables de l'enseigner aux autres. Nous en avons un exemple considerable en la personne de Philippe d'Aquin Juif d'Avignon, qui étant Professeur Royal en Hébreu lisoit les mêmes mots Hébreux tantôt d'une maniere, & tantôt d'une autre : parce qu'il n'avoit rien*

de certain sur la fixation des points voyelles. Le sçavant Pere Morin de l'Oratoire, qui avoit appris de lui la Langue Hébraïque, tomboit dans les mêmes fautes. Louis Cappel à qui il rendit une visite à Saumur, où celuy-cy étoit Professeur en Hébreu, ayant reconnu ce défaut dans la conversation luy conseilla d'apprendre la Grammaire Hébraïque, dont il ne sçavoit pas alors les premiers élemens.

Ex hoc luculento teſtimonio patet non tantùm diverſiſſimè à Judæis pronunciari Hebraïca, ſed etiam parùm ab illis curari quæ vocales enuncientur in pleriſque dictionibus. Undè fit conſequens, ut cum iis ſcripto vivâque voce congredi poſſint, qui novam Methodum uſurpabunt.

XVII.

De ſeptimâ objectione petitâ ex Dualibus Hebræorum, quæ in novâ Methodo à pluralibus quantùm ad pronunciationem non diſtinguuntur.

OBJECTIONI huic, quæ uti & duæ ſequentes ad ipſam artem Grammaticam propiùs pertinet, eoſque omnes perinde urget qui Bibliis non punctatis uti volent, reſponſum eſt in corpore Grammaticæ, c. 2. num. 5.

XVIII.

De octavâ objectione quæ petitur ex suppressione trium conjugationum Piel, Pual, Poel.

HANC etiam objectionem solvimus in corpore Grammaticæ, cap. 4. num. 4. Ibique docetur consueta huc usque Lexica sufficere ad Linguam Hebraïcam novo more, recentisque Grammaticæ ope discendam.

XIX.

De nonâ objectione petitâ ex litteris quibusdam omissis, quarum absentia in Maßoretharum Methodo punctis dignoscitur, in novâ verò neutiquàm.

OBJECTIONIS hujus solutio habetur in ipsâ Grammaticâ, c. 19.

XX.

Solvitur decima objectio petita ex Hebræorum Poëtica.

OBJICIETUR procul dubio à pluribus admissâ novâ Methodo ruere quæ hactenus tam à Priscis quàm à Recentioribus de Poëticâ Hebræorum scripta sunt. Cùm enim Poësis seu

Oratio poëtica certis numeris aut pedibus sit astricta; imò etiam apud quasdam Nationes, ut apud Gallos, similem finalium vocum terminationem in geminis versibus postulet, necesse prorsùs est ut qui novam inducit Linguæ Hebraïcæ pronunciandæ rationem, & pedes & similem versuum terminationem, ac proinde Poësim Hebraïcam omnem subvertat.

Ut objectioni huic commodiùs satisfiat, certa ab incertis separanda sunt.

Certum est ergo Poësim, eamque valde nobilem Hebræis (de Priscis nunc loquimur) cognitam & usitatam fuisse. Sacrorum enim Librorum partes plurimas, imò & libros quosdam integros; non tantùm consensus Veterum & Recentiorum omnium, sed etiam simplex lectio probat esse Poëtico sermone conscriptos.

Certum est pariter Poësim illam non tantùm Musicæ generatim, sed & ei speciei Musicæ quæ lyrica dici potest, aptam fuisse. Psalmi enim Davidis, ut de aliis Canticis sacris taceam, per choros decantabantur earum cantionum in morem quas vocamus Gallicè *Chansons à couplets & à refrains.*

Utrùm verò Poësis illa certo pedum numero, similive finalium vocum in

geminis versibus terminatione fuerit conclusa, non ita certum.

Constitisse pedibus Veteres, maximè Josephus & Hieronymus crediderunt. Multi etiam postremas versuum syllabas simili exitu donatas fuisse suspicantur. Sed fortasse nec ea Poësis pedibus constabat, nec finales binorum versuum voces similiter desinebant; idque nobis videtur similius vero. Cùm enim Poësis Hebraïca omnium antiquissima fuerit, credibile est eam fuisse simplicissimam miniméque impeditam. Sermo ergo tantùm erat solito concisior, sensibusque ac figuris abundantior. Phrases breves, ut plurimùm duobus constantes hemistichiis inter se numero syllabarum non multùm inæqualibus. Cæteras artis poëticæ leges, quæ procedente tempore apud alias Nationes in usu fuerunt, Hebræis ignotas fuisse probabilissimum est.

Frustrà opponeretur, quod tamen unicum conjecturæ huic opponi potest, hujuscemodi versus, si versus dicendi sunt, Musicæ præsertim lyricæ futuros non fuisse idoneos; cui tamen aptissimam fuisse Poësim veterum Hebræorum modò diximus.

Nam contrarium evincitur Psalmis

in Ecclesiis nostris decantari solitis; quorum versiculi hisce versibus non videntur multùm absimiles. Experientiâ constat eos cujusvis generi Musicæ aptos esse, commodissiméque decantari non tantùm in morem Musicarum Periodorum, quas vocamus Gallicè *Motets de Musique*, sed etiam in morem cantiuncularum per strophas distinctarum, quas vocamus *Chansons à couplets*. Idque vel indè patet, quod nullus sit Psalmus qui singulis octo Ecclesiæ tonis non possit aptari: neque his tantùm, qui tamen pro diversis regionibus non parùm diversi sunt, sed & pluribus aliis, quales sunt verbi gratiâ toni Oratoriani & Monialium quarumdam; item & illi qui tonos Ecclesiasticos comitari solent in cantu Psalmorum Musico rudiore, qui vocari solet *le faux bourdon.*

Sed quicquid sit de hâc opinatione; concedamus Poësim Hebraïcam non modò pedibus stetisse, sed etiam versus sonis similibus fuisse conclusos; quid inde nobis adversum elicient? Dicent nimirùm ruere priscos omnes Hebræorum metricos pedes, similesque postremorùm in geminis versibus vocabulorum sonos, cùm ex modo pronunciandi toti pendeant, novaque

Methodus pronunciationem longè diversam inducat.

At pace eorum dictum sit, jam perierunt veteres isti sive pedes, sive similes finalium syllabarum soni. Nam cùm ex modo pronunciandi Linguam Hebraïcam toti pendeant, necesse est ut deletâ prorsùs & extinctâ veteri pronunciatione, quod monstratum est, deleti pariter extinctique sint. Imò cùm jam vetus illa pronunciatio restitui nequeat, sequitur dignosci ampliùs non posse qui fuerint illi soni pedesve; ac consequenter eos omnes qui id sibi negotii dant, ut veterum Hebræorum Poëticam restituant, se Danaïdum supplicio imprudentes addicere. *Vetus Poëtica Mosis & Prophetarum*, inquit Bellarminus Gram. p. 4. cap. 5. *penitùs ignoratur.* Et Buxtorfius tract. de Prosodiâ. *Metri Sacri modus numerusque artificiosus post Prophetarum tempora paulatim negligi cæpit, ac tandem, decrescente magis magisque priscâ Hebræorum sapientiâ, pudendâ apud eos oblivione deletus est.*

Atque hæc de veteri Hebræorum Poëticâ. De recentiori, cujus regulæ habentur apud Rabbinos, fatemur cum eâ non consonare novam Methodum, & iis qui versus Hebraïcos juxta illius

Poëticæ regulas tornatos legere aut ipsi tornare amabunt, Massorethicæ Grammaticæ aliquam esse operam navandam. Novæ sufficiat iis esse usui, quibus Rabbinicas Musas colere aut non vacat aut non lubet.

XXI.

Solvitur objectio undecima ex Etymologiis Hebräicis petita.

Receptissima opinio est Linguas si non omnes, at plerasque ex Hebræâ ortum ducere. Originationem hanc quasi digito commonstrarunt ultimo sæculo plures Viri doctissimi, inter quos non immeritò palmam fert Samuël Bochartus. Qui post Bochartum in illâ palæstrâ sese exercuerunt, rem litterariam Etymologiis bene multis locupletarunt adeo felicibus, ut vel ipsi eorum Antesignano laudi fuissent.

Nec verborum tantùm nominumque appellativorum scaturiginem in Hebræo deprehendere est, sed & nominum Nationum, Urbium, Fluminum, Montiumque celebratiorum. Quantùm autem ex eâ Linguæ sanctæ prærogativâ in Libros sacros, dignitatis ac fidei refundatur, nemo non

det. Quid ergo erit censendum de no-
i Grammaticâ, pronunciandique ra-
one quam invehit, quæ proprietatem
am evertit, & origines omnes He-
raïcas, tanto cum plausu traditas &
ceptas, incertas ac evanidas facit?
Si tantam ex novâ Methodo profi-
sci posse perniciem suspicaremur,
imi omnium ei nuncium mitteremus.
t nihil ex eâ tale sequitur.

Pronunciatio, inquiunt Adversarii,
ndamentum est & radix Etymolo-
iarum. Eâ ergo per novam Metho-
um subversâ, subvertuntur pariter
tymologiæ omnes.

In limine sistimus Adversarios, prin-
ipiumque eorum pernegamus: aut si
istinctione agi malunt; pronunciatio
ndamentum est Etymologiarum pue-
ilium, dubiarum, in deridiculum ar-
is prolatarum; concedimus: funda-
nentum est Etymologiarum verarum,
ertarum, approbationem merentium,
egamus. Proprium ac stabile funda-
nentum Etymologiarum situm est in
psis characteribus, non in illo mutabi-
ili sæpéque mutato sono, quem cha-
acteres variis locis ac temporibus sor-
iti sunt; multóque minus in vocalibus,
uas subaudire inter characteres quos-
lam semper necesse fuit, ut sonum ar-
icularum efficerent.

Poëticæ regulas tornatos legere aut ipsi tornare amabunt, Massorethicæ Grammaticæ aliquam esse operam navandam. Novæ sufficiat iis esse usui, quibus Rabbinicas Musas colere aut non vacat aut non lubet.

XXI.

Solvitur objectio undecima ex Etymologiis Hebraïcis petita.

RECEPTISSIMA opinio est Linguas si non omnes, at plerasque ex Hebræâ ortum ducere. Originationem hanc quasi digito commonstrarunt ultimo sæculo plures Viri doctissimi, inter quos non immeritò palmam fert Samuël Bochartus. Qui post Bochartum in illâ palæstrâ sese exercuerunt, rem litterariam Etymologiis bene multis locupletarunt adeo felicibus, ut vel ipsi eorum Antesignano laudi fuissent.

Nec verborum tantùm nominumque appellativorum scaturiginem in Hebræo deprehendere est, sed & nominum Nationum, Urbium, Fluminum, Montiumque celebratiorum. Quantùm autem ex eâ Linguæ sanctæ prærogativâ in Libros sacros, dignitatis ac fidei refundatur, nemo non

videt. Quid ergo erit censendum de novâ Grammaticâ, pronunciandique ratione quam invehit, quæ proprietatem illam evertit, & origines omnes Hebraïcas, tanto cum plausu traditas & acceptas, incertas ac evanidas facit?

Si tantam ex novâ Methodo proficisci posse perniciem suspicaremur, primi omnium ei nuncium mitteremus. At nihil ex eâ tale sequitur.

Pronunciatio, inquiunt Adversarii, fundamentum est & radix Etymologiarum. Eâ ergo per novam Methodum subversâ, subvertuntur pariter Etymologiæ omnes.

In limine sistimus Adversarios, principiumque eorum pernegamus: aut si distinctione agi malunt; pronunciatio fundamentum est Etymologiarum puerilium, dubiarum, in deridiculum artis prolatarum; concedimus: fundamentum est Etymologiarum verarum, certarum, approbationem merentium; negamus. Proprium ac stabile fundamentum Etymologiarum situm est in ipsis characteribus, non in illo mutabili sæpéque mutato sono, quem characteres variis locis ac temporibus sortiti sunt; multóque minus in vocalibus, quas subaudire inter characteres quosdam semper necesse fuit, ut sonum articularum efficerent.

Hinc certò concluditur Pœnorum nomen idem esse ac Phœnicum, cùm utrobique conspiciatur eadem littera P. licet utrobique diversum sonum edat. Concluditur similiter Ioniæ nomen ab יון derivari, quamvis, admissâ Massoretharum pronunciatione, vox יון pronuncianda sit non *Ioun* sed *Javan;* quæ vox cum Javâ Asiæ insulâ majorem quàm cum Ioniâ habet soni affinitatem.

Et sanè si pronunciatio verum foret Etymologiarum Hebraïcarum fundamentum, nihil esset hoc eruditionis genere levius ac incertius; cùm ignota nunc dudúmque extincta sit vetus pronunciatio. Idem propè agerent qui hisce studiis immorantur, ac ii qui campanarum sonos interpretari vellent.

E contrario si Etymologiarum Hebraïcarum fundamentum collocetur in ipsis characteribus, quos tanto studio, tantâ sollicitudine servatos constat, sequitur à nemine despiciendas esse originationes Hebraïcas, modò juxta regulas artis deriventur.

Sed his positis ars etymologica ex novâ Methodo nullam patitur jacturam. Characteres enim non tantùm servat integros, sed etiam præ cæteris docet

quis

quis legitimus eorum usus. Illam Massorethicæ hoc etiam capite præponendam, quicumque animum ad id adjungent Viri cordati, non ægrè fatebuntur.

Hîc subjungere libet brevissimum è Joannis Avenarii Lexico excerptum, seu potiùs ex regulis quas ante Lexicum apposuit statim à principio. *Ante omnia sciendum*, inquit, *quod in derivandis vocabulis aliarum Linguarum ex Hebræâ, nulla habeatur ratio vocalium seu punctorum Hebraïcorum.* (Nota bene) *Nam illa nihil faciunt ad constitutionem radicis, sed tantummodo inserviunt formis conjugationum temporum, generum & numerorum. Ideoque sæpè aut mutantur aut abjiciuntur.*

XXII.

Solvitur duodecima objectio petita è neglectu similis Methodi propositæ ab Olivario Bulæo Vinsobrio, anno 1658.

MAXIMAM partem eorum, quæ hactenus dicta sunt, Diariis Trevortianis inserendam curaveram mensibus Octobri, Novembri & Decembri anni 1711. addito novæ legendi rationis ac Grammatices levi specimine, Doctiorum judicium experturus; cùm

ad me scribitur Parisiis laudari à plerisque specimen illud, exoptarique ut ea Grammatica quamprimum prodeat in lucem; at simul asseri à nonnullis non esse recens inventum. Quæro à quo prolatum sit. A Bulæo, inquit Vir humanissimus ac doctus inprimis, litterarumque Hebraïcarum præ cæteris peritus D. Jacobus Pinssonnatus S. Th. Doctor ac Linguæ sanctæ in Regio Collegio Professor: simulque amicissimè tradit deferendum ad me libellum cui titulus: *Olivarii Bulæi Vinsobrii Methodus Hebraïca, per quam Hebræorum Lingua sine punctis facillimè simul & accuratissimè disci potest. Ultrajecti ex Officinâ Henrici Versteegh. Anno* 1658.

Libro ut primùm ad manus pervenit, ineunte scilicet Martio anni 1712. cupidissimè evoluto, hæsi fateor, obstupuique non parum. Fatendum enim quod res est. Qualecumque sit discrimen quod inter Bulæi meamque Hebraïcè legendi Methodum intercedit, utraque eodem recidit. Totum novæ Grammaticæ fundamentum consistit in ratione legendi absque punctis, quæ sit Massorethicâ certior & commodior. Atqui ipso primo intuitu tale mihi visum est, taleque cæteris videbitur Bulæi inventum. Et quamvis multa vi-

dere mihi videar quæ institutum meum longè supra Bulæanum commendent, utrumque in ipso rei cardine consentit.

Atque inde intelligo duo mihi posse objici nullatenùs contemnenda; primum in me, alterum in meam Methodum.

Primùm ergo, quod multò levioris est momenti, objicietur me ex Bulæi libro suffuratum esse Methodum meam, mihique nomen Inventoris impudenter arrogasse.

Hanc objectionem leviorem voco. Si enim, uti spero, Methodus quam propono Massorethicâ reperiatur certior ac commodior, parum rei litterariæ interèrit nosse quis primus illius repertor fuerit. Etsi eo in agone non primas ferrem, sed secundas tantùm, imò & tertias, si quis adhuc novus Bulæus exurgat, satis indê in me honoris ac gloriæ redundaret. Nec oblivíscerentur Viri docti, aliquid statuendum esse discriminis inter eum, qui artem invenisset, quam vel nescisset vel neglexisset tractare; ac eum qui eamdem artem postmodum quidem, sed absque alterius ope inventam ita explicuisset, ut omnibus esse posset usui.

Cæterùm haud vereor ne quis opponat furto surripuisse me hanc palmam, quâ exornatus immiscerem me nobili Inventorum choro. Non enim Bulæi liber majori mihi fuit adjumento, quàm si nullibi Gentium extitisset, cùm ante eum diem, quo mihi D. Pinssonnati nomine traditus est, nihil unquam de eo audivissem. Sic fore confido ut mihi religiosè affirmanti fides habeatur eo libentiùs, quod hæc ignoratio in homine extra Parisios degente, librorumque non helluone, sit vero similis; maximè cum ita rarus dicatur ille liber, ut mihi scriptum sit eum etiam Parisiis vix alibi reperiri, quàm in Bibliothecâ D. Pinssonnati. Constat pluribus exemplis, idem problêma solvi posse à multis, qui de suis principiis nihil inter se communicarunt, imò qui diversa principia amplexi sunt. Præterea testatus sum hoc inventum ita facile atque obvium mihi visum fuisse, ut mirarer quî Cappellum & alios effugisset.

Altera objectio multò gravior est. Cùm enim Bulæi liber editus ab annis quinquaginta & ampliùs manserit hucusque Eruditis ferè omnibus ignotus, Methodusque quam tradit nullum suffragatorem, nullum magistrum discipulumve sortita sit, indè colligi pos-

ſe videbitur eam Methodum neglectam fuiſſe, ut Linguæ Hebraïcæ ediſcendæ minùs accommodatam. Et quamvis argumentum illud non ſit niſi ex eorum numero quæ præjudicia vocantur, non me latet fore apud quamplurimos maximi ponderis. Sed tria occurrunt quibus vis illius retundi poſſit.

Primum eſt non ſufficere Artis alicujus Inventori, Artem verè eximiam inveniſſe, niſi ſimul eam probabilem aliis reddat. Nam eo caſu locum habet tritum illud:

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Quod ſi de quibuſlibet inventis verum eſt, de iis præſertim quæ præceptis uſibus è diametro adverſantur. Non minori ferè ſolertiâ in iis evulgandis opus eſt, quàm in excogitandis. Præparanda quippe ſunt hominum ingenia, deſtruendæ quibus laborant præjudicatæ opiniones, timores depellendi, conciliandа attentio, exiſtimatio, fides; ſubvertenda opinionum contrariarum fundamenta, detegenda vitia, notandæ difficultates, demonſtranda incommoda: examinanda etiam ipſa tempora, temporumque circumſtantiæ, ut, ſi opus ſit, tempori aliquandiu ſerviatur. Non properandum, nec fœtus

ante emittendus, quàm à ſcientibus judicetur maturus. Cúmque tandem emittitur, non nudus, non, ſi ita loqui fas eſt, inermis emittendus eſt, ſed omnibus præſidiis inſtructus, quibus ſe ab Adverſariorum aggreſſionibus tueri, imò & eos ipſos aggredi, & deturbare poſſit.

At Bulæus omnia videtur egiſſe ex adverſo. Ac primò quidem (quod ſine invidiâ & contemtu dictum ſit) leviſſimam ac prope nullam videtur habuiſſe notitiam eorum, quæ in Artis adeo eximiæ Inventore neceſſaria judicantur. Exigua, ſaltem quantùm colligere eſt ex ipſo opere, in eo fuit Antiquitatis, bonarum diſciplinarum, Criticæ ſacræ cognitio. Nulla aut pauciſſima extant in illius libro ſagacitatis eruditioniſve reconditioris indicia, quibus ſibi apud legentes fidem pariat & auctoritatem. Quid multa? Nullo ferè argumento teſtatur Lectoribus tantiſper emunctæ naris, ſe parem fuiſſe operi quod promittit.

Deindè inventum ſuum non cautè ac modeſtè, ſed imprudenter ac incultè in lucem emittit. Rem novam, omniumque etiam doctiorum præjudiciis oppoſitam, animis imparatis, nudè, jejunè, ſine conſilio, ſine arte obtru-

dit. Nulla ponit principia quibus opus superstruat aut fulciat. Nihil probat, nihil demonstrat, nihil refellit. Paradoxa non pauca audacter effundit, quorum fallitas etiam nolentium oculis se prodit. Omnes conjugationes tam verborum perfectorum quàm imperfectorum ad unam revocat. De præcipuis & cuilibet obviis Grammaticæ, præsertim juxta ipsius Methodum, difficultatibus, altum silentium. Grammaticam condit sexaginta tantùm pagellis constantem; è quibus si demas duo capita integra Geneseos, complurésque alios Scripturæ Textus æquè prolixos, & quicquid nec ad Grammaticam, nec ad systema quod proponit, ullo modo pertinet, redigetur ea Grammatica ad pagellas triginta, aut paulò supra. Et tamen cum illâ informi & exangui Grammaticâ Linguam Hebraïcam jactat se docturum accuratè non pluribus mensibus, quàm alii annos huic operi soleant impendere. *Curandus est potiùs*, inquit operis præfatione, *sacrorum Bibliorum sensus, qui facillimè cuilibet intra octiduum, uti experientiâ comprobavi tentantibusque polliceor, meâ Methodo accuratè utenti patebit*. Et paulò post. *Audeo polliceri, Lector, te tantùm utilitatis in Linguâ Hebraïcâ non pluribus*

menſibus quàm alii annos ſoliti ſunt impendere, meâ Methodo ſi utaris, percepturum. His promiſſis quis non inclamet?

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Tantùm abeſt ut perſuadeat qui talia jactat, ùt ne audiatur quidem. Contemnitur, damnatur, relegatur cum ſuo libro, ſi non ab ipſo titulo, ſaltem ab ipſo exordio.

Bulæus ergo dum parum peritè parumque ſapienter ſuam Methodum evulgat, idem egit ac ſi non vulgaſſet: imò fortaſſe non paulò pejùs. Suâ enim imprudentiâ in anteceſſum temeritatis notam inuſſit eamdem Methodum cautiùs prudentiúſque propoſituris. Anno 1693. Hebraïzantes aliquot non incelebres, qui tum in Seminario S. Maglorii degebant, conſuli mandaveram, utrùm quis hactenus tentaſſet Hebraïcè diſcere ſine punctis. Reſponſum eſt id à nemine, niſi ab audacibus nimiùm, minúſque maturis quibuſdam ingeniis attentatum. Sic locutos crediderim, quòd noſſent Bulæi librum, de quo judicium ferebant non tam ob ipſum librum, librique argumentum, quàm ob illius formam ac conſtructionem. En prima mea reſponſio.

Altera eſt, Bulæi librum vix fuiſſe

Doctis cognitum, nunquam ab eis vocatum ad examen. Nondum quippe instituta erant tot celebres Eruditorum Ephemerides, quibus nova inventa statim Litteratis omnibus innotescunt. Magna pars librorum, eorum præsertim qui opiniones Paradoxas proponerent, iis tantùm in regionibus noti erant, in quibus typis mandabantur: possetque fortasse non temerè asseri, extra Provincias fœderatas paucissima Methodi Bulæanæ exemplaria permeasse.

Atque nunquam ferè liquet quodnam de libris ferendum sit judicium, nisi Doctorum censuram subierint. Imò non raró disputatione opus est, ut quæstiones pauló spissiores eliquentur. Quot opiniones in Veterum scriptis, quibus suffragatus est nemo, cum primùm vulgatæ sunt, quæ posterioribus sæculis utrimque exagitatæ, & in staterâ appensæ, non modò visæ sunt æquè probabiles ac opiniones receptæ, sed etiam iis probabiliores! An rectè philosophanti licuisset ex silentio, in quo quasi sepultæ delituerant, eas falsi arguere ac ne examinandas quidem censere?

Tertia responsio hæc est. Fingamus Bulæanam Methodum, postquam pro-

diit, adhibito examine tenebris oblivionique damnatam, nunquam inde sumi poterit saltem efficax contra nostram præjudicium. Principia enim quibus innititur Bulæi Methodus nondum satis explicata ac firma videbantur. Rejiciebantur non paucis in locis iis præsertim in quibus excusus est ille liber. Enimvero ab octo tantùm annis vulgata erat Cappelli *Critica sacra.* Porrò Eruditis notum est, opus illud & alia quædam Cappelli placita, diu fuisse apud Ecclesiæ Romanæ Adversarios suspecta, diu exagitata, propeque factum esse, ut anathemate percellerentur. Quid ergo mirabimur oppressum iis in regionibus Bulæi librum, in quibus præcipua ejus fundamenta reprobabantur?

Haud absimile fatum experta est Cartesiana de animis brutorum opinio. Ea scilicet, uno ferè ante Cartesium sæculo à *Gomesio Pereirâ* Medico Hispano proposita fuerat libro cui titulus *Antoniana Margarita*, in fol. *Methinæ Duelli* seu *del campo*, an. 1554. Sed nondum erat his tempus, regnante imperiosiùs Peripatetismo Arabico. Qui postquam novæ Philosophiæ principiis validè concussus est, tum demum agitari multisque tandem in Cartesio probari cœpit eadem sententia, quæ in

Pereiræ libro per silentium oppressa, nullum neque Adversarium neque Patronum habuerat. Sic etiam impetitâ non semel nec parum imminutâ Massoretharum auctoritate, receptisque apud plures Cappelli principiis quibus superstruitur nova Methodus, nihil mirum, si quæ Bulæi tempore neglecta sunt, ea nunc minimè negligantur.

Tribus verbis concludi potest omnis responsio. 1. Bulæi Methodus non fuit aptè proposita. 2. Non fuit discussa. 3. Dato fuisse discussam, principia quibus fulcitur nondum satis erant eliquata.

Cæterùm non est quod conquerar ignotum mihi fuisse Bulæi Librum. Illa enim obscuritas in qua delitescebat, ab instituendâ simili Grammaticâ me deterruisset. (Utrum quid detrimenti cepisset Respublica litteraria judicabunt anni sequentes.) Bulæanæ Methodo forsitan adhæsissem, nec de quærendâ aliâ legendi ratione cogitassem. Atqui si instituenda sit Grammatica punctis libera, videbitur ratio legendi quam propono Bulæanâ commodior, cùm hæc pluribus constet regulis ac exceptionibus, nostra autem unicâ eâque nullas exceptiones admittente contineatur.

XXIII.

Solvuntur objectiones missæ à R. P. D. Guarino Congregationis sancti Mauri.

Paucis diebus post acceptam à Domino Pinssonnato objectionem articulo præcedenti discussam, allatæ sunt complures aliæ missæ à R. P. D. Guarino Benedictino, tam suo quàm totius Rhemensis Academiæ nomine, in quâ celeberrima S. Mauri Congregatio solet per aliquot annos in Linguis Græcâ & Hebraïcâ exercere quos ex suis alumnis ad hoc studii genus aptos reperit. Ex iis objectionibus nonnullæ quidem mihi videntur minùs urgentes; at cùm doctissimis Viris graves visæ sint, dubitare mihi non licet quin possint pluribus negotium facessere. Cum ergo debitorem se omnibus, præsertim Doctis, constituat, qui Artem aliquam traditurum se pollicetur, nullam ex iis sine responsione duxi relinquendam.

Objectio prima. Nova legendi ratio non est Massorethicâ facilior. Promptius enim est puncta enuntiare quæ oculis videntur, quàm vocales quæ desunt, & ubi desunt, supplere.

Resp. Ne quæstionem quidem tan-

git objectio. Non enim agitur inter nos, & punctorum Massorethicorum Patronos de punctatis sed de non punctati Textûs lectione. Atqui certò certius est Textum non punctatum in Massoretharum Methodo legi non posse, nisi post impigrum ac diuturnum Linguæ Hebraïcæ studium. Id norunt omnes. Novit & ipse qui objectionem proponit. Ait enim in scripti sui decursu : *Les habiles Hébraïsans d'aujourd'huy lisent à la vérité l'Hébreu sans points. Mais quand sont-ils en état de le faire ? N'est-ce pas après s'être rendu l'Ecriture si familiere, qu'à force de l'avoir lûë & relûë selon la ponctuation Massorethique, l'habitude de la lire de cette maniere leur tient lieu de Tradition.*

Deindè licet ageretur de lectione Textûs punctati, nec tunc causâ caderemus. Nam primò senes omnes, & quibus non sunt satis perspicaces oculi, vix possunt puncta discernere; adeo exilia sunt. Secundò qui puncta faciliùs discernunt, hærent nihilominus aliquantisper in conjungendis punctis cum suis characteribus. Unde fit ut etiam ex iis qui dicunt se scire Hebraïcè, haud facilè reperiantur qui cursim & uno tenore legant Biblia punctata, cùm ea scrupulosè & exactè juxta pun-

cta volunt legere. At in novâ Methodo, vel ipso primo die quo legere discitur, satis commodè legitur. Post primam verò alteramve hebdomadam, eâdem ferè facilitate ac celeritate legitur Hebraïca, quàm quælibet alia scriptura.

Objectio secunda. Pronunciatio Massorethica aut eadem est ac vetus & genuina, aut ab eâ parum discrepat. Parum enim differt ab Hieronymianâ, ut agnoscunt optimi Critici. Hieronymiana porrò parum differt ab Origenianâ: Origeniana similiter parum ab eâ qua fuit LXX. Interpretum, quam aut eamdem fuisse ac veterem, aut ei parùm dissimilem constat. Ergo colligendo à primo ad ultimum constare debet pronunciationem Massorethicam parum à veteri discrepare.

En objectio, qualis proposita fuit: quam etiamsi totam admitteremus, nihil tamen sequeretur quod Grammaticæ nostræ posset officere. Non enim ideo præcipuè exoptandam esse novam Grammaticam censuerunt meliores Critici, quod Massorethica pronunciatio à veteri longiùs discreparet; sed duas alias ob causas, easque gravissimas, quarum prima est quòd Massorethica Grammatica punctationi innitatur adeo infidæ, ut semper timen-

dum sit ne à legitimo Scripturæ sensu legentes abducat. Secunda verò quod Grammatica illi punctationi innixa, valde sit incommoda, nec nisi post longissimum tempus det legere & intelligere Hebraïcè absque punctis. Quæ duæ rationes adeo graves sunt, ut etiamsi constaret pronunciationem Massorethicam minùs adhuc distare à veteri quàm dicitur, nihilominus exoptanda esset alia Grammatica, quæ vitiis illis careret. Nihil ergo novam Grammaticam lædit objectio.

Nec tamen verum esse concedimus quod asseritur, nimirum pronunciationem Massorethicam parum à veteri & genuinâ discrepare. Nam præterquam quod contrarium putamus alibi sufficienter demonstratum, ipse eruditissimus Hexaplorum Origenianorum Editor Domnus Bernardus *de Montfaucon* ita loquitur tom. 2. disquisitione de vocalibus Hebræorum, pag. 398. *Magna porrò legendi varietas inter veteres Interpretes & Massorethas deprehenditur, ita ut ubi illi legunt* a, *hi legant* e *& vicissim* &c. Ipsa ratio, quæ in probationem adducitur, ad exactæ rationis amussim redacta procul dubio nobis favebit. Notum enim est *parum sæpiùs repetitum crescere*, & evadere

multùm. Quantò ergo rectiùs concluderet, qui ſic argumentaretur? Jam aliquatenus diſtabat à veteri pronunciatione pronunciatio LXX. Interpretum. Ab hâc recedebat adhuc pronunciatio Origeniana. Ab Origenianâ Hieronymianam, ſicut ab Hieronymianâ receſſiſſe Maſſorethicam nemo inficiatur. Ergo hæc ultima non jam *parum* ſed *multùm* diſtat à primâ.

Quò objectionis vitium reſponſioniſque veritas clariùs eluceſcant, liceat ſimilem ratiocinationem proponere. Quæ ſub Ludovico Rege XIV. viguit & nunc ſub Ludovico XV. viget Lingua Gallica, parum ab eâ differt quæ vigebat ſub Ludovico XIII. Quæ ſub Ludovico XIII. viguit, parum differebat ab eâ quæ ſub Henrico IV. Illa parum ab eâ quæ ſub Henrico III. quo regnante florebat Ronſardus. Ergo colligendo à primo ad ultimum, Lingua Gallica hujuſce temporis parum differt à Linguâ Ronſardi. Quis tam abſurdam conſequentiam ferat?

Inſtat Adverſarius, & ut demonſtret pronunciationem Origenianam, eorumque Interpretum qui Origenem præceſſerunt, parum à Maſſorethicâ differre, iſtius differentiæ capita profert, eaque conſiſtere ait 1°. in eo quod

Origenes ignoret *Raphe*, *Daghess lene*, & *Mappic* : 2°. quod vocales ו & *Scheva*, cum initium dictionum occupant, aliter pronunciet : 3°. quod habeat litteras א ה ח ו י ע pro vocalibus, licet Massorethis consonantes sint, eisque alium sonum assignet &c. Sed afferamus ipsius verba. *Il est clair par les fragmens des Exaples, qu'en donnant au* Scheva *initial des Massorethes le même son que celui de la voyelle de la consonne suivante, en détruisant le* Raphe, *le* Daghess *doux & le* Mappic, *en prononçant le* ו *initial en* ou, *choses qu'on vous passe volontiers, on fait une conformité presque entiere avec la lecture Maßorethique. On voit par ces fragmens qu'Origene reconnoissoit à la vérité pour voyelles* א ה ח ו י ע, *mais quelque fois aussi pour consonnes, ou que si elles étoient toûjours voyelles, elles n'avoient point partout le même son..... Il est vray malgré tout cela qu'il reste encore quelques mots Hébreux écrits en caracteres Grecs dans les Exaples, dont nous ne voyons point la conformité avec la ponctuation Maßorethique &c.*

Non minùs peccat hoc argumentum quàm præcedens. Nam primò hæc, in quibus conceditur pronunciationem Origenianam à Massorethicâ distare, non pauca sunt. Secundò, plusquam

satis sunt ut magnum exurgat discrimen. At sanè multò pauciora utramque Græcè pronunciandi rationem diversissimam efficiunt.

Atenim, inquit Adversarius, Karaïtæ, qui Traditiones prope omnes ut anilia commenta rejiciunt, non minùs reverentur puncta quàm cæteri Judæi. Quî factum, nisi quod Massorethicam prolationem aut similem veteri aut parum dissimilem judicarunt? At nemo credat Karaïtas Rabbanistis tam infensos cum eis hâc in re consensisse, nisi certis rationibus adductos.

Resp. Esto, Massorethicam pronunciationem sine controversiâ tenendam esse existimarint Karaïtæ, quid ad nos qui Karaïtarum placitis non tenemur? An in illâ opinione falli non potuêre, sicut re ipsâ in aliis multis decepti sunt? Sed si reddenda ratio est, cur ab eis admissa fuerit pronunciatio Massorethica, quid similius vero, quàm id contigisse quòd communis esset illâ ætate? Apud nos, qui rerum grammaticarum scientissimi sunt & antiquitatis retinentissimi, vulgarem pronunciandæ Linguæ Latinæ morem subeunt. An sequitur esse illam reapse vel ab iis existimari genuinam & veterem?

Objectio tertia. Si foret immutanda pronunciatio Massorethica præstaret immutari ad ejus normam, cujus vestigia supersunt in Hexaplorum fragmentum, quàm novam, inauditam, omnino arbitrariam obtrudere.

Resp. Nec paucorum nec indoctorum erit hic sermo. Sed, quod absque eorum offensione dictum sit, non multùm, iis ædificantibus videntur absimiles, qui veteribus quibusdam partibus ædium stare jussis, nonnisi infelicem operis summam consequuntur. Arctioribus limitibus vota ac cogitata sua concludunt. Eis sufficeret Grammatica, quæ plusculum antiquitatem redoleret, nugisque nonnullis levaretur. At aliis non sufficiat, qui volent Hebraïca legere, discere & intelligere sine punctis, Methodumque exposcent Massorethicâ certiorem & commodiorem.

Fac enim Origenianam pronunciationem restitui posse; tradi non poterit sine punctatione quæ vocum sensum determinet, & quæ non erit Massorethicâ certior, neque commodior, neque magis recepta. Non erit certior: unde enim ejus Auctores vel Restitutores errori minùs obnoxii quàm Massorethæ? Non commodior: regularum

& exceptionum par aut ferè par utrobique copia. Non denique magis recepta: nunquam placebit usuive Judæis erit; displicebit Christianorum plurimis; quibus commenta Judæorum etiamnum cordi sunt.

Sed neque jam restitui potest. Testes habemus omni exceptione majores, eruditissimos scilicet Hexaplarium fragmentorum Editores. Audiamus D. Bernardum de Montfaucon, tom. 1. Hexaplorum in notis & variis lectionibus ad cap. 1. Geneseos, quod Græcis characteribus integrum dat Hebraïcè juxta veterem quam existimat pronunciationem. *Hebraïcas hujus capitis voces*, inquit, *Græcè descripsimus, veterem legendi modum, ut in Hexaplis erat quantùm licuit secuti: & quidem in plerisque divinando. Fragmenta quippè hujusmodi lectionum non ita frequentia sunt, ut possit quispiam verum & antiquum Hebraïca legendi morem in omnibus assequi: cùm alioquin Patres ac Scriptores, qui Hebraïcas hujusmodi voces Græcè expresserunt, non sibi mutuò constent.*

Objectio quarta. Etiamsi Massorethica pronunciatio punctatiove non parùm differret ab antiquâ, novæ tamen præferenda esset. Massorethica enim sensum determinat, quod nova

non facit, ex eâque determinatione gignitur sensus, qui aut idem est ac in Vulgatâ & aliis antiquis Versionibus, aut interdum melior.

Resp. Cùm primùm hæc legi, humanorum ingeniorum varietatem ac discordiam non potui quin mirarer; quæ tanta est, ut quod uni præcipuum opinionis suæ videtur esse fundamentum, alteri videatur ejusdem opinionis eversio. Existimabam enim inde potissimùm Massorethicam pronunciationem convellendam, quòd verborum sensum determinet; novam ideo præcipuè commendandam, quòd Textum in suâ indeterminatione relinquat. Et exurgunt Viri docti, quibus ideo conservanda videtur Massorethica quòd sensum verborum determinet; nova rejicienda, quòd illum in ambiguo conservet. Hæc objectio cui jam supra responsum est articulis 5. & 8. si quid probet, probat semper utendum esse punctato Textu; quod tamen à Doctis omnibus meritò exploditur.

Objectio quinta. In novâ Methodo non poterunt per Textum corrigi Versiones. Priusquam enim ea correctio possit institui, constare debet de sensu Textûs ipsius. Atqui nova Methodus Textum relinquit ambiguum,

suspensum pluribusque sæpè sensibus æquè bonis exprimendis idoneum. Si ad antecedentia ac consequentia sensumque loci confugiatur; jam non est Textus, sed ratiocinatio. Imò Textus ipse interpretandus erit per Versiones, ut incertus esse desinat. Erunt ergo Versiones regulæ Textûs, cùm ordo postulet ut Textus sit regula Versionum, ideoque ediscatur Lingua Hebraïca, ut Versiones meliùs intelligantur, & per Textum, cùm opus est, corrigantur.

Hæc objectio fortasse optima videbitur earum quæ hoc articulo propositæ sunt. Non indiget tamen magno vindice.

Primò enim cùm variæ lectionis errorisve origo in ipsis est characteribus, non minùs possunt Versiones per Textum in novâ Methodo corrigi quàm in Massorethicâ. Atqui ex hoc capite quanta nascatur optimarum correctionum seges nemo nescit; ac si quis doceri indigeret, posset is L. Cappelli *Criticam sacram* consulere. Eo enim in opere variarum lectionum correctionumve, quæ ex litterarum aut etiam vocum additione, omissione, permutatione, transpositione ortæ sunt, non simplices centurias, sed chiliadas reperiet.

Secundò cùm variæ lectionis errorisve origo non in ipsis est characteribus, sed solùm in modo characteres punctandi & interpretandi; tunc etiam Versiones per Textum corrigi possunt. Licet enim in hoc casu ambiguus fortasse dici possit Textus, tamen plerumque fit ut perpensis antecedentibus & consequentibus ignorari vix queat loci legitimus sensus; qui si alius sit à sensu Versionis, è Textu Versio tum corrigitur.

At urget Adversarius: si ad antecedentia & consequentia loci confugiatur, ratiocinatio est.

Esto. Sed si antecedentia & consequentia adeò clara sunt, ut sensus cuilibet non inepto statim pateat, ratiocinatio ita simplex est, ita facilis, ita Textui inhærens, ut ab ipso distingui non debeat. Tunc jure dicitur Textum ipsum nullo alio præter se indigere, ut sensum legitimum exhibeat. Hinc quamvis in his Phrasibus, *consputerunt in os ejus; fregerunt os ejus*, vox illa *os* sit ambigua, nonnisi cavillando & contra morem diceretur opus esse ratiocinatione, ut germanus sensus eruatur. Si autem antecedentia & consequentia non statim ambiguitatem removent, tunc vera erit ratiocinatio. At illam in Scriptori-

bus quibuslibet interpretandis adhibent omnes qui libros evolvunt; neque id contra nostram Methodum urgeri potest.

Eâdem facilitate solvimus quod additur, nimirum in novâ Methodo Versiones fore Textûs ipsius regulam, cùm ordo contrarium postulet.

Concedendum enim est Textum quidem non rarò per Versiones intelligi & corrigi, plurimaque hujuscemodi interpretationum & correctionum exempla profert Cappellus opere citato. At negandum inde sequi Versiones fore Textûs regulam. Quod ut pateat, tres quatuorve casus potissimùm examinandi veniunt. Nam sensus quem Textus gignit, aut clarus est & certus, aut suspensus & ambiguus, aut denique sensu Versionis minùs commodus.

In primo casu, qui cæteris longè frequentior est, liquet Textum esse Versionum regulam.

In secundo, nempe cùm Textus sensum habet ambiguum pluribusque ac diversis Versionibus non ineptè congruentem, uti crebrò contingit in Textu Hebraïco punctis destituto, non ideo etiam optimæ & antiquissimæ Versiones possunt dici regulæ Textûs,

sed

ſed tantùm cum Textu concordare.

In tertio verò caſu, nimirum cùm ſenſus quem Textus parit Verſionis ſenſu inferior eſt, id eſt, minùs commodus; diſtinguendum. Tunc enim vel conſtat Textum eſſe incorruptum, vel non. Si conſtet eſſe incorruptum, Verſio ad normam Textûs reformanda eſt, etiamſi ſenſum præ ſe ferat meliorem: hocque in caſu palam eſt Textum eſſe Verſionis regulam. Si vèroſimilius ſit eſſe corruptum; corrigi poteſt juxta Verſiones. At non ideo ſunt Textûs regula, cùm vitia Textûs & corruptelæ pro Textu haberi non debeant. Aut ſi placet Verſiones hoc in caſu nuncupari regulam Textûs, regula erunt per accidens tantummodo, uti contingit interdum Magiſtrum à Diſcipulo doceri.

XXIV.

Solventur quatuor objectiones miſſæ à Diverſis.

I. LINGUÆ cujuſvis notitia ſervari acquirive nequit niſi Traditione aut orali aut ſcriptâ. Traditio oralis Linguæ dicitur cùm vivâ voce ab uno ad alium tranſmittitur. Hoc unico modo Canadenſes, apud quos ig-

noratur quid sit scriptura, Linguæ suæ intelligentiam servant adipiscunturque. Traditio scripta Linguæ sunt operum eâ Linguâ conscriptorum Versiones, quibus collatione factâ instruimur, quid vox unaquæque significet. Atqui nova Methodus neque orali, neque scriptæ Linguæ Hebraïcæ Traditioni consentanea est; imò utrique adversatur. Non potest ergo Linguæ Hebraïcæ intelligendæ ac edocendæ censeri idonea.

Resp. Majorem distinguimus. Nova Methodus neque orali neque scriptæ Traditioni consentanea est, imò utrique adversatur, quantùm ad vocabulorum pronunciationem, concedimus: quantùm ad eorum sensum, seu significationem, negamus. Utcumque sibi placeant Judæi, Linguæ Hebraïcæ quantùm ad pronunciationem vel scripta vel oralis Traditio intercidit. Sed ad Linguam addiscendam non est necessaria; quod fusè ostendimus. Igitur ut nova Methodus ad Linguæ sanctæ cognitionem studiosos sui perducat, satis est quòd scriptæ quantùm ad vocum significationem Traditioni (quæ Traditio hauritur in antiquis Versionibus) consentiat. Consentit autem multò magis quàm Methodus Massorethica. Itaque objectum argumentum nihil nobis nocet;

at Massorethas graviter ferit, qui veteri Traditioni non solùm circa pronunciationem, uti nos, sed etiam circa verborum significationem sæpissimè adversantur.

II. Nova pronunciandi ratio asseritur Massorethicâ certior, quòd Textum nobis talem omnino, qualis est, repræsentet. Atqui Textus nunquam talis fuit, qualis per novam pronunciationem exhibetur; aut si quibus in particulis talis est, fortè fortunâ fit.

Resp. Cùm dicimus novâ Methodo Archetypum repræsentari sicut est, non loquimur de pronunciatione. Nostram pronunciationem fatemur esse novam & confictam ad arbitrium. At verò asserimus sacrum Codicem eâ exhiberi qualis est, quia exhibetur purus & sincerus, id est, sine ullo additamento, quo sensus illius credi possit vel tantillùm detortus aut immutatus; quod in pronunciatione Massorethicâ nec fit, nec fieri potest. Distinguenda ergo est minor propositio ad hunc modum. Textus Hebraïcus nunquam talis fuit qualis nobis exhibetur novâ Methodo, quoad pronunciandi rationem concedo: quoad rationem significandi, nego. Demonstratum est, opinor, art. 8. primum no-

bis non officere, sufficere secundum.

III. Esto; in novâ Methodo sit facilius legere: at intelligere multò difficilius. Vocales enim Massorethicæ sensum indicant: quas subrogat nova Methodus, ad sensum minimè faciunt. Quapropter illa utenti nihil superest, quo in sensu inveniendo juvetur. Atqui Methodus quæ, lectione quidem planiore redditâ, Linguæ intelligentiam reddit difficiliorem, peccat in publica commoda.

Resp. Non est in novâ Methodo quàm in Massorethicâ difficilius intelligere Textum non punctatum, cùm utrobique desint illa adjumenta, quibus dicunt ad sensûs notitiam faciliùs perveniri. Omnis ergo difficultas circa quæstionem hanc versatur: utrùm sit in Massorethicâ Methodo facilius Textum punctatum intelligere, quàm non punctatum in novâ. Quam quæstionem quamvis Adversariorum arbitrio permitteremus, minimè tamen vinceremur; cùm Hebraïcè studentium finis sit Textum non punctatum cursim legere & intelligere. At longè abest ut id in universum concedamus: quin potiùs ducimus distinguendum. Sunt enim in Textu Hebraïco, sicut in aliis quibusvis Textibus, loca quædam faci-

liora, alia verò difficiliora.

Igitur faciliora non difficiliùs intelligent qui novam Grammaticam docti erunt, quàm qui Massorethicam, utenturque Bibliis punctatis. Scilicet, ut intelligantur loca illa faciliora, sufficit ut plurimùm series loci, quippe quæ idem ferè præstet, quod puncta Massorethica.

Difficiliora ingenuè concedimus minus expeditè ex nostrâ Methodo intellectum iri quàm ex Massorethicâ, cùm Biblia punctata legentur. Ratio est quòd in difficilioribus quid exigat locus haud ita facilè deprehendatur: cúmque sensus plerumque lateat, vel exurgat multiplex, hæret animus, nec nisi aliquo labore reperit quid eligat. Cùm autem legitur Textus punctatus, obscuritatem hanc ambiguitatemve ut plurimùm diluunt puncta. Et in hoc casu aliquid habet facilitatis Massorethica Methodus supra novam.

Sed quatuor efficiunt, ut ne commodo illo carere nos pœniteat.

Primum est, quòd Eruditi consentiant his potissimùm in locis non esse punctis fidendum; nec licitum modò, sed sæpè utile, imò necessarium Massorethico sensui Versiones veteres anteponere.

Secundum, quòd, cùm Adversarii concedant his præsertim in locis lucernâ opus esse, nobis non minùs liceat facem veterum Versionum sequi, quàm Massoretharum.

Tertium, quòd hâc ipsâ difficultate tandem aliquando premendi sint Adversarii. Seriùs an ociùs nil refert. Concedunt enim, ut quis meritò possit asserere scire se Hebraïcè, eò tandem esse deveniendum ut Bibliis non punctatis utatur. Quo casu par erit illi qui novâ Methodo uti non reformidaverit.

Quartum denique, quòd usu ac exercitatione imminuatur propeque evanescat illa difficultas. Assiduâ enim faciliorum interpretatione, absque punctorum subsidio, adeò facilis redditur aditus ad difficiliora, ut major illa facilitas, quæ punctorum ope haberi dicitur, nulla sit aut propè nulla.

IV. Etiamsi concederetur novam Methodum Textui sacro interpretando sufficere, nunquam tamen effici poterit, quin Massorethica discenda sit. Etenim sine Massorethicâ nunquam intelligentur Biblia punctata. Quæ quamvis non haberentur pro Archetypo, certè pro optimo commentario habenda sunt, quo proinde carere non poterunt nisi ægrè, qui Scripturis pe-

nitiùs interpretandis se addicent. Non dubium ergo quin præferendam censeant eam Methodum quæ utrumque datura est, scilicet Textum etiam absque punctis intelligere, & insuper juxta puncta Massorethica interpretari: quod ultimum nonnisi Massorethica Grammatica præstare potest. Deinde sine illâ nunquam erui poterunt tot sacræ doctrinæ thesauri, qui in libris Thalmudicis ac Rabbinicis delitescunt, ad quos nonnisi clave Massorethicâ permittitur aditus.

Resp. Ut quis sciat quomodo juxta Massorethas vertendus sit quilibet sacræ Scripturæ versiculus, necesse non est ut sciat Hebraïcè juxta eorum morem. Sufficit namque ut Versiones consulat quæ Massorethas ad amussim sequuntur.

[*Huic argumento leviùs quàm oportebat respondet Masclefius. Videsis pleniorem Editoris responsionem infra, capite ultimo.*]

Quod spectat ad studia Rabbinica: primùm, etiam inter eos qui Scripturis altiùs penetrandis insudant, paucissimi curant Judaïcos libros, præsertim in ipsâmet eorum Linguâ evolvere. Nec immeritò. Quid enim fontem adeptos juvaret turbidos rivos inquirere, mag-

no cum fastidio, modico fructu? *Sunt duplicia potissimùm* Rabinorum *scripta*, inquit J. Clericus Artis Criticæ parte 1. cap. 4. num. 13. *Alia sunt commentarii in vetus Testamentum, qui non sunt difficiles admodum intellectu, iis qui contextum ipsum intelligunt, & mediocrem operam iis navarunt Rabbinico Lexico J. Buxtorfii adjuti. Sed cùm sint recentiorum Rabbinorum, neque ullâ ratione conferri queant Christianorum laudatis Interpretibus, qui plura multò subsidia adhibent quàm Rabbinorum gens, & judicio multùm iis præstant; nullam causam video quare tanti fiant quanti à nonnullis fieri solent, nisi quòd vulgò non leguntur, & pulcrum est videri ea intelligere quæ aliis ignota sunt. Sed res ipsa si introspiciatur, cum Grammaticis ac Criticis Christianorum nullo modo sunt æquiparandi. Sunt verò alia scripta, aut allegorica, aut ad doctrinam Thalmudicam pertinentia, quæ nos docent quid senserint Judæi aliquot sæculis post Christum; sed parum faciunt ad illustrationem veteris Testamenti. Allegorici Doctores quidquid volunt fingunt, Thalmudici subtilissimè ritus omnes persequuntur, atque ex cerebro suo supplent, si quid deeße videatur Legi scriptæ, nullâ penè Grammaticæ aut Historiæ ratione habitâ; quod studiosi facilè intelligent vel ex variis Thalmudicis Codi-*

tibus Latinè editis , & adnotationibus à Viris doctis auctis. Quæ cùm ita ſint , tametſi nova Methodus aditum non aperiret ad theſauros doctrinæ Thalmudicæ cæteraſque id genus divitias miſeras , pauci eſſent quos tangeret ea jactura. Certè illa tanti non eſſet , ut eo nomine Methodus Maſſorethica noſtræ præponeretur.

Deinde falſum eſt eos qui Hebraïcè è noſtrâ tantùm Methodo ſciunt libris Thalmudicis & Rabbinicis interdici. Sine punctis ferè ſcripti editique ſunt , neque ulla eſt circa vocales in iis ſupplendas Traditio. Patet itaque noſtris etiam Diſcipulis illud ſtudiorum genus , modò ſubſidiis utantur ad Thalmudicum & Rabbinicum idioma intelligendum ſpeciatim neceſſariis. Nec enim ut quis Maſſorethicè Linguam Hebraïcam didicit , ita Rabbinos ſtatim decurret inoffenſo pede. Equidem crediderim fortè planiorem alicubi & expeditiorem fore hominibus more Maſſorethico Scripturam intelligere aſſuetis Rabbinorum Thalmudiſque lectionem. Quod ut verum ſit , nihil aliud probat niſi novam Grammaticam eſſe Maſſorethicâ aliquantò minùs idoneam iis qui libros Thalmudicos , & Rabbinicos in proprio eorum idioma-

h v

te perlustrare cupient. Hoc incommodum, si cum iis comparetur quæ Massorethicæ Grammaticæ inhærent, parùm grave censebitur.

XXV.

Expenduntur difficultates in Diariis Trevortianis mense Decembri 1713. propositæ à R. P. Didaco de Quadros S. J. in Academiâ Complutensi Professore. Auctoris de Genebrardi Isagoge judicium.

DUo aggreditur R. P. quibus exequendis à Diarii Auctoribus aptissimus judicatur: novæ Methodi indicare vitia; dein meliorem commonstrare. Auctori novæ Grammaticæ plusquam meretur laudis tribuit; de ipsius Methodo, etsi parciùs, non omnino malè loquitur, eamque & ingeniosam & in multis plausibilem esse concedit. At septem octove reprehendit dura, ut quidem putat, concoctuque difficilia. Postea transit ad Gilberti Genebrardi Methodum quam affirmat, & omnibus carere vitiis quæ recensuit & præstare quicquid boni nova pollicetur. Hinc colligit eam novæ, vel Cappello judice, præferendam. Cæterùm factum benè, quod sapientissimus Professor,

adhibitâ omni ſagacitate, nihil niſi præviſum & ſolutu facile nobis objecerit. Inde jam priori Editione præſagiebat animus noſtram Methodum nec magnas nec improviſas experturam eſſe difficultates.

Primùm objicit, durum videri quòd Auctor candidè fateatur ſuam pronunciandi rationem eſſe meri arbitrii & *recens inventum*. Quid enim rei, inquit, hîc agitur? Noſſe quomodò pronunciaretur olim Lingua Hebraïca; quò perveniri nequit pronunciatione arbitrariâ, ſed Veterum pronunciationem ſcrutando, eorumque veſtigia fideliter premendo. *L'Auteur de la nouvelle Methode eſt obligé d'avoüer que ſon Hypotheſe eſt purement arbitraire & nouvellement inventée. Mais de quoy s'agit-il? de ſçavoir comment on liſoit anciennement l'Hébreu. Quoyque nous ne devions pas eſperer d'acquerir jamais ſur cela une connoiſſance pleine & entiere, nous devons neanmoins faire tous nos efforts pour approcher le plus près qu'il nous eſt poſſible de la vérité. Or il ſemble que quand il s'agit d'apprendre comment on liſoit autrefois l'Hébreu, c'eſt s'éloigner & s'écarter du chemin qui conduit à cette découverte, que d'avoir recours à des ſyſtêmes purement arbitraires, & qu'au contraire le moyen le plus ſûr pour y arriver,*

c'est de s'attacher à la Tradition , & de suivre autant qu'on le peut , les traces des Anciens , qui ayant vécu dans des siecles moins éloignez du tems où la langue Hébraïque étoit encore en usage , ont pû avoir sur la maniere de lire les Livres Hébraïques des connoissances que nous n'avons pas. On ne peut pas même douter que les Docteurs Juifs n'ayent eu une maniere fixe & déterminée de lire les Livres Saints , & que cette maniere de les lire ne soit passée successivement des Docteurs à leurs Disciples. C'est apparemment pour cela que Drusius s'exprime ainsi au commencement de son ancien Alphabet Hébraïque. J'ay eu depuis long-tems la pensée de composer un Livre exprès sur l'Ecriture ancienne : je m'y portois volontiers, à cause de l'ignorance ou de la témérité de certaines gens qui s'imaginent qu'il leur est permis de changer tout ce qui leur plaît dans la maniere de lire les mots Hébreux. Qu'ils le fassent puisqu'ils le veulent ; pour nous, suivons les Anciens quand nous le pouvons. J'ay expliqué dans ce petit Livre quel étoit leur usage, autant que j'ay pû le penetrer dans l'obscurité des tems si éloignez. *Genebrard , dans le Livre dont nous parlerons dans la suite, se déclare pour le même sentiment, & dit expressément qu'il*

n'a jamais approuvé la hardiesse de Caninius, de Tremellius & de Mercerus, qui sur l'Analogie des Livres de Daniel & d'Esdras ont gâté l'interprétation Chaldaïque, & la Version Syriaque du Nouveau Testament, en y retranchant presque toutes les voyelles, & y substituant des points à leur fantaisie. *D'où nous devons conclure qu'il ne faut pas aisément, dans des choses de cette consequence, s'engager dans des systêmes arbitraires, dont on peut se passer; que le plus sage est d'étudier l'antiquité, & de tâcher d'y découvrir des traces de l'ancien usage auquel il faut se conformer.*

Optima objectio, nisi falsum supponeret. Non quærimus quomodo pronunciaretur olim Lingua Hebraïca. Id nunc ignorari, id etiam scitu inutile probavimus. Quærimus tantùm rationem legendi, discendi & intelligendi Hebraïca sine punctis. Itaque objectio aliud probat quàm quòd in quæstione est.

Huic responso addimus alterum *ad hominem*, nimirùm à R. Patre (quod nobis objicit) pronunciationem merè arbitrariam induci. En illius verba octo paginis infra: *Afin qu'on ne croye point que cela nous rengage dans les regle importunes de la ponctuation Maßorethique;*

je dis 1°. qu'il ne faut point s'embarraßer quels points on donne aux dictions Hébraïques. Ex quibus sequitur licere in dictionibus Hebraïcis enunciandis quam volueris pronunciationem usurpare. Sit saltem innocens qui in alium mittit lapidem.

At R. P. hîc non tantùm nocens est, absit verbo injuria, sed Auctore novæ Methodi multò nocentior. In eâ dictiones Hebraïcæ ubique eodem modo efferuntur, nec licet aliter atque aliter pronunciare. At in R. Patris Methodo nunc uno modo, nunc alio, pronunciari possunt. *Il ne faut point s'embarasser quels points on donne aux dictions Hebraïques.* Quod ait habuisse Doctores Judæos fixam ac determinatam rationem legendi Libros sanctos, eamqueDiscipulis ac Successoribus suis tradidisse, ostensum est illam legendi rationem non semper sibi constitisse. Sed de eâ re satis supra, art. 3.

Objectus Drusiani Alphabeti locus novæ Methodo potiùs favet. Quos enim temeritatis ac ignorantiæ incusat Drusius, sunt Hebraïzantes Massorethicæ pronunciationi morosiùs addicti; imò sunt ipsi Massorethæ, quorum pronunciationem redarguit, ut antiquiori nimiùm adversantem. Nec de

eo dubitabit, qui leget Drusii Alphabetum, aut si illo caret, loca superiùs ex Drusio deprompta, necnon articulum secundum capitis primi hujusce Grammaticæ. Vult quidem Drusius ut pronunciationi antiquæ adhæreamus quantùm licet; at cùm ostensum sit pronunciationem antiquam ita delitescere, ut jam detegi nequeat; nec nobis ad Linguæ intelligentiam necessaria sit, sequitur consultiùs ab iis agi, qui arcanum illud penetrandum ac revelandum aliis relinquunt, quibus vacat nodis Gordiis expediendis tempus terere. Id porrò constat, auctore Drusio, posse tutò negligi pronunciationem Massorethicam, quod pro novâ Methodo maximi ponderis esse judicamus.

Quod spectat locum Genebrardi; seu potiùs Eliæ Levitæ, à Genebrardo allatum & à R. Patre laudatum, nihilo magis novam Methodum lædit. Revera enim improbandi sunt & maximè nobis improbantur Caninius, Tremellius, Mercerus &c. qui Paraphrases Chaldaïcas, Syriacasque novi Testamenti Versiones juxta analogiam librorum Danielis & Esdræ reformarunt, vocales ferè omnes supprimendo, punctaque pro suo arbitratu subrogando: multóque magis Massorethæ,

qui talia multa in ipsum Textum Hebraïcum ausi sunt, in pluralibus verbi gratiâ tam masculinis quàm fœmininis &c. At nihil tale fit in novâ Methodo, in quâ characteres omnes religiosissimè conservantur; fieri autem in Methodo Massorethicâ proclive est. Nam cùm juxta illam pronunciationem vocales nullum sonum edant per se; additis punctis promtum est compendii causâ eas præsertim expungi, quæ ad verbi radicem non pertinent. Non ergo nos, sed Adversarios potiùs impetit Elias Levita.

Alteri R. Patris objectioni, quâ ex albo conjugationum deletas conqueritur *Piel*, *Pual* & *Poël* alibi respondetur, capite scilicet Grammaticæ quarto, articulo quarto. Quem articulum qui benè perpenderit, desinet istas conjugationes desiderare. Ait R. P. saltem durum videri sibi, quòd novæ Grammaticæ Auctor ejuscemodi expunctionem decreverit, ignarus punctorum & adhuc Grammaticæ rudis. *En second lieu l'Auteur avouë qu'il ignore la valeur des points, & qu'il n'en connoît pas même la figure. Bien plus, que lorsqu'il commença à se servir de sa nouvelle Methode, il ne sçavoit alors pas même conjuguer un verbe. Et cependant il retranche absolument*

& sans hésiter trois conjugaisons, Piel, Pual *&* Poël; *quoyqu'il soit constant que ces conjugaisons ont une signification bien plus emphatique.*

Verùm nonne ad explodendas illas conjugationes satis erat nosse, puncta & eorum appendices in quibus tres prædictas conjugationes nemo non annumerat, notæ recentioris esse, nec magnæ auctoritatis. Quasi verò sanioris Philosophiæ præceptis imbutus, sine piaculo qualitates occultas & cætera id genus ludibria repudiare nequeas, nisi totam illam Peripateticæ doctrinæ farraginem penitùs introspexeris. Sed audacior fuerim; magistra superesset, à quâ redigerer in ordinem, experientia. Atqui hâc ipsâ mihi compertum est Linguam Hebraïcam citra illas conjugationes addisci posse.

Objicit tertiò R. P. Auctorem novæ Grammaticæ litteras ע ח ה habere pro vocalibus. *En troisiéme lieu, il prefere l'opinion de quelques Anciens en petit nombre, comme l'a remarqué Pagnin, qui disent que les lettres* ע ח ה *sont des voyelles: il la préfere dis-je cette opinion au sentiment commun aujourd'hui parmi les Sçavans, qui soûtiennent que ce sont des consonnes gutturales.*

At malè nonnisi paucis Veterum tri-

buitur hæc ſententia, cùm ea ſit omnium quos noverim. Vide Grammaticam noſtram cap. 1. art. 2. Antiquis aſſentiuntur doctiſſimi Recentiorum, qui præ cæteris, licet pluribus, audiendi ſunt. Ipſi enim rem videntur examinaſſe, non alii, queis ſatius oracula Judæorum ſerviliter revereri.

Quartum, quod non placet R. P. illud eſt, quod nec intelligi ab aliis, nec ipſe alios intelligere poſſit, qui novam Methodum ſectabitur. 4°. *Il avouë, ce qui eſt vray, que ceux qui auront appris l'Hébreu ſelon ſa Methode, n'entendront point ceux qui en traiteront ſelon la Methode ancienne & ordinaire. En vérité peut-il y avoir une confuſion plus grande, un plus grand renverſement ?*

Videat Lector, quæ reſpondimus ſupra, art. 13. Hîc tantùm monebimus, R. Patrem in idem vitium, ſi vitium eſt, aut etiam in majus impingere. Docens enim ſex paginis infra rationem legendi abſque punctis à noſtrâ diverſam, negat curandum eſſe quæ puncta, vocaleſve legantur, cùm vera Grammatica nonniſi ex characteribus pendere debeat & harmoniâ, id eſt, ordine ſonoque conſonantium. *Afin qu'on ne croye point que cela nous engage dans les regles importunes de la*

ponctuation Massorethique, je dis qu'il ne faut point s'embarrasser quels points on donne aux dictions Hébraïques : & si l'on prétend que ce n'est pas-là sçavoir toute la Grammaire, je l'avouërai sans peine de la Grammaire Maßorethique, mais non pas de la vraye Grammaire Hébraïque, qui ne dépend que des lettres characteristiques, & de l'harmonie des consonnes. Hoc autem ipso palam est eum qui utetur Methodo, quam R. P. ex Genebrardo proponit, ab iis qui Massorethicæ tantùm assueverint non intellectum iri. Novam qui sequentur Methodum, quoniam eodem omnes modo pronunciaturi sunt, intelligent saltem se se mutuò. Secus R. P. Discipuli. Cuique enim, ut volet, pronunciare permittit; unde ubi alter legit *a*, alter leget *e* & vicissim. Potiori ergo jure possemus sua ipsi verba reddere. *En vérité peut-il y avoir une confusion plus grande, un plus grand renversement?*

Quintum, quod arguit, mutatio est per novam Methodum introducenda in nominibus propriis juxta formam Hebraïcam ad alias Linguas transmissis. *En cinquiéme lieu, il avouë ingenuëment que dans les mots Hébreux, qui ont passé dans les autres Langues, il se fera un changement si grand, qu'au lieu* d'Israël, *il*

faudra dire Issiral ; *au lieu de* David ; Douid. *Il prétend que dans ces mots les Massorethes varient ; mais cela justifie-t-il les changemens qu'il introduit ?*

His quæ dicta sunt art. 14. unum addam, nimirum mihi nunquam id consilii fuisse ut hæc mutatio in Linguam Latinam aliasve invaderet, legereturque *Issiral* pro *Israël*; *Douid* pro *David* &c. Cur enim aliter legerentur extra Textum Hebraïcum ea nomina, quàm legi consueverunt ? Quâ unâ observatione corruit quicquid in eâ mutatione asperum ridiculumve fingi posset. Sequitur enim in hoc versari quæstionem omnem, an difficilius sit in novâ Methodo nomina propria discernere quàm inMassorethicâ.Quid autem operosius deprehendere Roboamum designari per vocem *Rebam*, quàm per *Rechabghàm?* Sed ut sit in novâ Methodo paulò major ea difficultas; nunquam cordatos multùm movebit.

Sextò, inquit R. P. fatetur Auctor inutilem esse suam Methodum, Massoretharum verò necessariam, ubi disputandum cum Judæis : quæ concessio quid aliud est quàm turpiter fugere ac vinci ? 6°. *Autre aveu de l'Auteur. Sa Methode est inutile dans les disputes contre les Juifs. C'est-là renvoyer nos Controver-*

ſiſtes à l'étude de la Methode ancienne dont il avoit fait un ſi affreux portrait : c'eſt lâcher pied & ſuccomber.

Deus bone! Egone id confeſſus ſum? Tam ſeriâ R. Patris aſſeveratione perculſus ſtatim locum adii ſpeciminis à Trevortianis editi, in quo objectionem ex difficultate cum Judæis differendi petitam propono. Ibi contrarium ejus quod me fateri ait R. P. totis viribus nec, uti ſpero, prorsùs infeliciter propugno. Adiri poteſt ſupra art. 16.

Fatemur quidem ei cui ſpes locuſve ſit pluries cum Judæis diſputandi utiliſſimum fore eorum pronunciandi punctandique rationem ediſcere, ut ſuis eos armis revincat. Sed hoccine eſt fugere ac vinci? Niſi ſi *fugit* ac docet *fugam*, qui diſputaturos cum Heterodoxis monet, ut Heterodoxorum doctrinam circa quæſtiones controverſas juxta eorum principia Methodumque diſcant, quò faciliùs eos argumentis *ad hominem* dictis coarguant.

Addendum & in R. Patrem retorqueri poſſe illud argumentum in eos qui veterem τῶν L X X. pronunciationem revocatam vellent, qui certè nec ignobiles nec pauci ſunt. Ii enim omnes cùm aliter pronuncient quàm Judæi, eaſdem ac nos vinçendas habent

difficultates, easdem responsiones adhibendas. Cùm ergo fatebuntur utile esse disputaturos cum Judæis pronunciationi LXX. Interpretum addere pronunciationis Massorethicæ notitiam; an ideo vincentur ac fugient?

Objicit septimò, Judæis Hæreticisque pro Novatoribus eos fore qui novæ Methodo adhærebunt. 7°. *Enfin quel autre effet peut avoir la nouvelle Methode, que de nous faire passer pour des Novateurs dans l'esprit des Juifs & des Heretiques?*

Qui notam hanc metuit, à novâ Methodo abstineat. Sed metuendane est in re, quæ, ut cum Lirinensi loquar, non doctrinæ sed ingenii est? Deinde idipsum opponi potest iis qui LXXviralem pronunciationem revocare student. Non minùs enim habebuntur à Judæis & à quibusdam Hæreticis pro Novatoribus: sed nihil eos moratur ille timor.

Addit R. P. octo paginis infra, novam Methodum hoc perniciosam videri, quòd à legendis Rabbinis arceat. *La nouvelle Methode empêchant qu'on ne puisse lire les Oeuvres des Rabbins, on doit peut-être avec raison la juger pernicieuse.* At huic objectioni art. 24. latè responsum est.

Restat ut ad alteram dissertationis partem transeamus, quâ Genebrardi Methodum nostræ anteponendam contendit; quod eâ nostram inutilem reddi existimet. *Si un homme, dit-il, très-habile dans la Langue Hebraïque nous a appris l'art de lire l'Hébreu & les autres Langues Orientales sans points, & sans nous astreindre aux regles des Massorethes; un art qui nous enseigne à entendre l'Hébreu par les seules lettres characteristiques; un art enfin avec le secours duquel nous ne tombions dans aucun des inconveniens dont j'ay parlé: c'est cet art que nous devons suivre, & il faut rejetter la nouvelle Methode comme inutile. Or nous avons cet art. Celuy qui nous l'a donné c'est ce celebre Docteur de la France, cet homme consommé dans la science Hébraïque, Gilbert Genebrard, dans son Livre intitulé*, Εισαγωγὴ Gilberti Genebrardi Theologi Parisiensis Divinarum Hebraïcarumque litterarum Professoris Regii, ad legenda & intelligenda Hebræorum & Orientalium sine punctis scripta. Parisiis apud Ægidium Gorbinum sub insigne spei, è regione Collegii Camèracensis. 1587.

At non satis advertisse videtur R. P. quid inter utramque Methodum sit discriminis. Genebrardica Isagoge

docet quidem legere & intelligere ſine punctis, ſed eos ſolos qui jam perfectè ſciunt Hebraïcè juxta Maſſorethârum principia. Nova verò docet & illos qui Linguæ Hebraïcæ ſunt omnino rudes. Apta enim eſt ediſcendæ à capite ad calcem Linguæ Hebraïcæ. Genebrardica ne tentat quidem Linguam Hebraïcam docere. Cùm ii qui juxta Maſſorethas optimè ſciunt Hebraïcè, facillimèque explicant quoſlibet Textus punctatos, hæreant nihilominus, rediganturque ad anguſtias, ubi eis legendi ac interpretandi offeruntur Textus non punctati; Genebrardus invenit aut inveniſſe ſe putat Methodum quâ legant & intelligant Textus illos non punctatos, præcipuè Rabbinicos.

Hunc eſſe Genebrardi ſcopum fatebuntur omnes qui vel primam alteramve libri illius paginam evolverint. *Initio autem admonendus es*, inquit, *quiſquis traheris ſtudio legendi Hebræorum Commentarios, ut priùs diligenter incumbas in præceptiones grammaticas. Nam tota legendi ratio pendet ex analogiâ & proportione grammaticâ.* Quæ verba ſic exprimit R. P. de Quadros. *Pour lire l'Hébreu ſans points, Genebrard avouë qu'il faut connoître l'analogie, les regles & l'uſage de la Grammaire.* Uno verbo, Genebrardi

nebrardi Methodus Grammaticam Massorethicam supponit. Nostra non modò non supponit, sed ab ejus discendi labore studiosos levat. Quod si attendisset R. P. nunquam dixisset Genebrardicâ Methodo nostram fieri inutilem. Hoc eum fefellit in primis quòd arbitratus est ex novâ Methodo perfectè legi non posse, nisi Grammatices analogiâ regulisque cognitis. *Si pour la parfaite intelligence de l'art de lire l'Hébreu sans points, il faut connoître l'analogie, les regles & l'usage de la Grammaire, comme Genebrard l'avouë, nous ne demandons rien en cela que la nouvelle Methode ne demande aussi-bien que nous.* At contrarium non obscuris verbis professus sum, nec semel asserui ad legendum perfectè Hebraïcè, ne adeundum quidem alterum Grammaticæ nostræ caput, sed sufficere regulæ unius nullasque exceptiones admittentis notitiam. Habetur ea Grammaticæ cap. 1. art. 4.

Quod addit R. P. Cappellum, si revivisceret, Genebardicam Methodum novæ prælaturum: *Ma seconde reflexion est, que si Cappel revivoit, ce Critique pour lequel le nouvel Auteur semble avoir tant de déference, il s'en tiendroit plûtôt avec moi à ce qu'a enseigné Genebrard, qu'à la nouvelle Methode*; non video

unde expiſcari, quâve conjecturâ colligere id poſſit. Norat Cappellus Genebrardicam Methodum, eâque utebatur. Cupiebat tamen, ut exoriretur tandem aliquis qui demonſtratâ certiore, commodioreque legendi abſque punctis ratione, Grammaticam daret ei legendi rationi innixam. At Genebrardica Iſagoge pro fundamento habet illam ipſam Grammaticam Maſſorethicam, quam planè rejiciendam ſanciebat Cappellus, ſi legendi certior commodiorque ratio inveniretur.

Diſſertationem ſuam claudit R. P. affirmans ſe in novam Methodum non aliâ de causâ ſcripſiſſe, quàm ut deffenderet antiqua & ſacra, quæ ab eâ impetuntur, monumenta. *J'ay fait ces remarques ſans paſſion, dans la ſeule vûë de défendre les monumens anciens & ſacrez que la nouvelle Methode attaque.* Puncta Maſſorethica cæteraque id genus multi inter Chriſtianos antiqua, pauci ſacra dixerunt. Qui ſic loquuntur, viderint an Judaiſmum ſapiant ad ſobrietatem, an aliquantiſper pluſquam oportet. Sunt & alia in R. Patris diſſertatione, quæ ſimilibus obelis configi potuiſſent; at ſatis habemus nihil eorum quæ ad rem faciant omiſiſſe.

XXVI.

De novis D. Guarini objectionibus.

MONITUM EDITORIS.

HACTENUS Vir Cl. Fr. *Masclef*, quem typis dato priori volumine, dum promissam à R. P. D. P. *Guarin* responsionem expectat, non immatura bono pioque Presbytero, sed amicis luctuosa mors occupat die 14. mensis Novembris, anno 1728. Ac Deus quidem illum, ut speramus, ad se recepit; grata verò Posteritas & laudabit liberiùs, & ascribet Inventorum nobili choro.

Jam ab ejus morte septem octove menses effluxerant, cùm ad me affertur alterum Masclefii volumen scriptum Auctoris manu. Simul defertur secundus Guarinianæ Grammatices tomus è prælo recens, cui præfixa est ingens adversùs Masclefium præfatio complexa centum & unam paginas in 4°. Rogor, ut quod Masclefius non perfecerat, id absolvere velim, hoc est, D. Guarini præfationem refellere. Ego Masclefium famâ duntaxat scriptisque noveram. Ejus principia mihi perplacuerant; hoc debebam novæ

Methodo, quod ſpinis Maſſorethicis ab Hebraïcâ Linguâ repulſum ad hæc ſtudia revocaverat. Neque defuerat omnino ſucceſſus. Quo factum eſt, ut unus ex amicis meis hanc in me transferret provinciam; quam ſuſcipere ſi voluiſſet, quâ pollet harum litterarum peritiâ, utque mirâ felicitate res maximè diſſociabiles miſcuit magnam eruditionem ſubactumque judicium, profectò effeciſſet, ut ne Maſclefius deſideraretur. At ille inſtabat operi laborioſo, quod & novæ Methodo accommodatum & omnibus Linguæ ſanctæ ſtudioſis perutile exibit propediem. (*Racines Hébraïques ſans points.*)

Mihi verò poſtea quam perlecta D. Guarini Præfatione magis magiſque conſtabat, nihil allatum à Viro longè doctiſſimo contrà Maſclefianam Hypotheſin, quod eam vel tantillùm labefaceret, tum demum ejus cauſæ patrocinium in me recepi, quæ vincere facilè poſſet, etiam non optimo Patrono. Sed non ea fuit inſtituti mei ratio, ut D. Guarinum κατὰ πόδα, quòd aiunt, ſequerer, & omnia ſingulatim refellerem.

Primùm obſtitit, quod de certo foliorum numero pactus erat cum Typographo Maſclefius, nec niſi paucas

pagellas destinarat confutandæ D. Guarini Præfationi quam non legerat. Hunc numerum invitus excessi, quamlibet brevis esse laboraverim. Deinde multa D. Guarini argumenta in antecessum occupaverat Masclesius; quædam Prolegomenôn suorum mutaverat posterioribus curis, quæ sapientiores esse solent. Præterea non ipsummet Masclesium, sed ejus sententiam defendere statuimus. Ferè contingit infirmitatis humanæ vitio, ut accuratissimus quisque Scriptor, dum veram tuetur opinionem, certissimis rationibus incertas, nonnunquam falsas, admisceat; quæ tamen bonæ causæ nihil nocent nisi apud imperitos judices. Nos haud agimur studio partium, & uni Vero sacramentum diximus.

Denique D. Guarinus quædam impugnat, quæ si expugnasset, nihilo magis subruisset Masclesianam Hypothesin. Nec enim dum urbem obsides, ut suburbana quædam præsidia ceperis, statim urbem ipsam occupasti, & Imperator uno vel altero prælio fusus bello sæpè victor abscedit. Quanquam subsidiarias Masclesii rationes interdum defendimus, ne fraudi sit erudito Canonico, quòd plures omittamus, neve quis nostrum silentium

pro censurâ passim interpretetur. Cæterùm sic D. Guarini principia, sic omnia quibus novam Methodum convulsum ibat à nobis confutata credimus, ut jam dubium esse non possit, penès utrum ister victoria.

Hanc responsionem etiamnum vivente D. Guarino tantùm non absolveram, ejusque stylum sic temperaveram, ut meminissem agere me cum Viro doctissimo deque Litteris sacris benè merito, cui facilè condonandum erat, si quid in Masclesium dixisset inclementius. Quod si neque mea me indoles, nec D. Guarini fama virtusque continuissent, certè retinuisset illustrissimi, cujus ipse pars & ornamentum fuit, Sodalitii reverentia, in quo non Christianæ solùm Asceticæque virtutes, sed eruditio, sed Antiquitatis amor & omne litterarum genus sedem velut in suo fixisse videantur. Auditâ D. Guarini morte calamum adhuc retudi. Res est sacra mortuus, maximè Christianus, maximè Presbyter. Subiit animum hæc cogitatio, nolle Masclesium quidquam in eundem duriùs scribi, quem nunc in sinu Veritatis complectitur, ubi nullæ lites, nulla dissensio, sed sola regnat æternùm charitas.

XXVII.

Solvitur prima novarum objectionum, voces Hebraïcas juxta novam Methodum pronunciatas nec esse Hebraïcas, nec intelligi posse.

D. Guarinus novam pronunciationem *Algunquinicam*, *vel Huronicam vel nullius Linguæ* vocat. Huic si credimus, idem judicium ferendum est de Textu Hebraïco, cùm ex novæ Methodi regulis pronunciatur, ac de primo Geneseos Græcæ versiculo ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, si rejectis genuinis vocalibus, solâ vocalium auxiliarium ope, in hunc modum efferretur: *Nu roch pisin Thes taun rbonun ka taun gan.* Sanè illæ voces pro Græcis haberi non possunt, ergo nec Textus Hebraïcus dici Hebraïcus potest, ubi sic pronunciatur, *Beressith bera Aleim ath essimim ou ath earets.* Imò, si D. Guarinum audias, novi Hebraïzantes non modò non intelligere Massorethistas, nec ab iis intelligi possunt, sed etiam spe inani & frivolâ se ipse lactavit Masclefius, cum sibi pollicitus est futurum, ut qui suâ Methodo uterentur ejusdem disciplinæ alumnos intelligere & ab iis intelligerentur. Nam *decenni*, inquit, *& am-*

pliùs experimento constat, eos non modò non se invicem, sed nec se ipsos intelligere. Quin asserit *fieri aliter non posse*, ut *docet ipsa novæ lectionis ratio.* pp. 11. & 12.

Voces Hebraïcas novò more pronunciatas fatemur non esse Hebraïcas eo sensu, quod idem sit earum sonus, qualis erat vigente Linguâ Hebraïcâ. Vera pronunciatio jamdudum amissa est; nec eo sensu voces Massorethico ritu prolatæ Hebraïcæ dici possunt. Id etiam concedimus; voces multas, quæ quidem, Davidis verbi gratiâ tempore, per varios sonos enunciatæ modò ad hunc, modò ad illum sensum determinabantur, in novâ Methodo ambiguas relinqui, si solam spectes soni naturam, quæ semper una eademque est. Sed his duobus concessis minimè sequitur verba nostro ritu prolata non esse Hebraïca, quandoquidem Textum Hebraïcum, qualis extat, optimè repræsentant.

E duplici quæ nunc viget Græcæ Linguæ pronunciandi ratione alteram falsam esse oportet. Neutra forsitan vera est. Præterea quamplurimæ sunt in illo sermone voces πολύσημοι ac proinde, quod ad scripturam attinet, non ad unum sensum flexiles. Florente Græ-

ciâ, aſpirationum & tonorum varietate multarum id genus dictionum tollebatur ambiguitas. Aliter efferebatur ἕξω *habebo*, & ἔξω *extra*: aliter ἆρα *an, utrùm*; aliter ἄρα particula expletiva; aliter denique ἀρὰ *imprecatio*. Jam verò ponamus aliquem falsâ omninò Linguæ illius pronunciatione uti, nec ad ullam ſpirituûm accentuûmve diſtinctionem inter legendum attendere: nonne voces ab illo ſic prolatæ Græcæ dici poterunt? Novi equidem Viros Græcè doctiſſimos, qui id genus diſcrimina ignorent, & habeant pro quiſquiliis. Rectè an ſecùs, nihil nunc diſputo. Certè illos ſapere conſtaret, ſi bonis rationibus probaretur, Grammaticos, qui Græcis Codicibus ſpiritus accentuſque appinxerunt, tam immane à Veteribus diſcrepare, quàm à genuinâ Hebræorum pronunciatione (non ſolùm quoad *Accidentia*, ſed quoad ipſam quoque *Subſtantiam*) Tiberienſes diſceſſère.

Quod exemplum tam ad rem appoſitum eſt, quàm parum æqua doctiſſimi Benedictini comparatio, quâ nos iis ſimiles facit, qui vocales omnes à Græco ſermone removerent. Nec enim minùs, quàm ipſæ conſonantes ſunt Græci ſermonis portio. Quapropter eas ni-

hilo minore diligentiâ retineri decet. Nos ergo etiam Hebræas vocales quascumque scriptas invenimus, eâdem ac consonantes religione semper tuebimur; imò & illarum non paucas, eoquod additis Massoretharum apiculis jam viderentur otiosæ, è nonnullis dictionibus evanuisse conquerimur. Sed quàm sanctè sex vocales א ה ח ו י ע conservatas, & restitutas volumus, quia ad Textûs integritatem pertinent, tam constanter vocales Massorethicas explodimus, cùm nobis liquidò constet ferè incertum esse, an quæ dum vigebat Lingua sancta supplebantur, eas etiam quoad substantiam suppleverint; imò infinitis in locis diversas supplevisse.

Quòd verò instat D. Guarinus, sex vocales, quæ olim variè sonabant, sonare semper idem apud nos; frivolum est. Unicò quidem illo ejusdem vocalis efferendæ modo multiplex interdum subest eidem voci notio; sed an idcirco Hebræa vox Hebræa esse desinit quod multa significare possit? An id fatebitur D. Guarinus, cujus etiam testimonio compertum est plurimas voces eodem modo à Massorethis prolatas, iisdem omnino vocalibus insignitas, varios habere sensus, eosque diversissimos?

Ecquis autem Virum doctissimum non mirabitur, dum eos qui novam Methodum amplexi sunt, neque à semetipsis, neque à se mutuò intelligi præcisâ illâ suâ affirmatione pronunciat. Itane verò delirabat Masclefius, ut Hebræos Codices legens aliquem ex illis sensum à se percipi falsò sibi in animum induceret? Ii profectò non credent, qui Viri percoctum judicium cognoverint, qui ejus Grammaticen oculis non lippis vel inspexerint. Sed fac Masclefium insaniisse hanc insaniam, sibique fucum eâtenus fecisse; quo, malum, fascino delusi sumus homines neque pueri, neque pauci omnino, neque in reliquâ vitâ planè stipites, ut in Hebraïco Textu hospites ac peregrini aliquid in eo videre nobis videremur? Sperabatne D. Guarinus eâ de re nos sibi potiùs quàm nobis, suæ potiùs asseverationi quàm oculis nostris, quàm sensui omnium nostrûm intimo habituros fidem?

Nos certè minimè fugit à nobis citra ullius interpretationis subsidium Hebraïca lectitari, nos ab aliis, à nobis alios legentes pronunciantesve intelligi, idque etiam sine sollicito vel anxio nimis sonorum aucupio; nos Hebræum sermonem ab aliis edoctos, alios à

nobis doceri, ac porrò, velint nolint Mafforetharum vindices, in posterum docendos. Quænam, amabo, isthæc est disputandi ratio, velle eorum contra quos disputes abolere conscientiam? Si quæ habet eruditus Benedictinus, ea vera sint, nos sanè vel amentes esse oportet, qui ægrorum somnia vigilando somniemus, vel impostores qui quidem ea quorum falsitas comperta nobis est obtrudamus pro veris, conemurque Orbi litterato præstigiis & circumforaneis artibus imponere. At nos neque falsi neque fallaces, ut spero, sumus. Nihilo melioris est notæ, quod ait pag. 78. Virum Clarissimum Ed. Pourchot in docendâ novâ Methodo *oleum & operam perdidisse, fecisseque ut causa hæc non bona tanto patrocinio fieret pejor.* Et pag. 90. Juniores illos Theologos qui è præstantissimi illius Magistri disciplinâ Lutetiæ Parisiorum Hebræa publicè interpretati sunt, *eas in angustias à Professoribus Regiis aliisque viris Hebraïcè peritis adductos fuisse, ut magis muti quàm pisces unum pro mille respondere minimè potuerint.* Quod quidem D. Guarino tam certum videtur, ut adversùs Masclefium, qui de illo experimento, spectante Lutetiâ, in hâc litterarum

luce feliciter peracto mentionem fecerat, exclamet tragicè : *itane ipsi videtur idonea esse publica auctoritas quam sic illudat ?*

Ego verò jam pridem longè alia audieram, qui præsertim illius exercitationis famâ, quæ quidem ab idoneis testibus ad me deferebatur, eò impulsus sum, ut novæ Methodo graviter operam darem. At postquam in hunc Guarinianæ Præfationis locum incideram, è vestigio adii D. Pourchot rem, prout gesta esset, ab eo sciscitaturus. Qui summam illius probitatem, qui candorem eximium, qui antiquam libertatem, conjunctamque pari cum eruditione modestiam perspexêre, ii non alium testem vel in suâ causâ locupletiorem interrogari potuisse fatebuntur. Me Guariniana verba referente tantùm non excanduit Viri optimi semper-lenitas. Negavit quidquam iis inesse veri. Rem sibi ultra spem successisse, plaudentibus celeberrimis omnium ordinum Viris, frustra blaterantibus uno vel altero è Rabbinorum grege, mihi sanctissimè confirmavit, seque etiam scripto prolatisque gravissimis testimoniis, si sit opus, tantam calumniam revicturum.

Neque nos magis movet quod ob-

jicit nostram pronunciationem *ambabus ulnis non exceptam fuisse, si non à Judæis & Confessionis Augustanæ Theologis, saltem ab aliis Christianis Linguæ sanctæ studiosis*. pag. 78. Hominum enim morem quis ignorat, quorum imbutæ mentes præjudicatis erroribus ad eas opiniones, quas semel arripuêre, tanquam ad saxum adhærescunt? Quod cùm in omnibus fermè rebus obtinet, tum in iis maximè disciplinis, quæ non nisi sudore comparantur. Obstat enim amor sui quominus emtas improbo labore merces nihili esse existiment homines iis artibus instituti, & velint ea quæ *Imberbes didicêre, senes perdenda fateri.*

Si rem acu tetigit Masclefius sequitur exempli causâ D. Guarinum multùm temporis in ediscendis Massorethارum canonibus perdidisse, sequitur & ipsum & alios Hebraïcæ Linguæ Professores pluribus annis Rabbinica scruta nugasque Judaïcas alumnis suis magno vendidisse. Quas merces cum diu putaverint optimas, nolint suum sibi errorem extorqueri. Sed vincet seriùs ociùs Veritas. Nam quod nondum ambabus ulnis excipitur, nihil est quòd desperemus, aut Masclefii augurium pro vano habeamus. Adhuc bona ætas est. Non modò non post decem annos

Peripateticas nænias difflavit Cartesiana philosophandi Methodus, sed etiam sæculo ferè integro cum veteribus præjudiciis parum æquo Marte colluctata est.

Plures sane Discipulos hodie Masclefius habet, quàm numerabat Cartesius decem post annis quàm philosophari cœperat. Etsi enim Massorethanorum Patroni nullum non lapidem movent, quo Hebræarum litterarum cupidos veluti Judæi cogant in suam turbam concedere, quidam nihilominùs, etiam in hâc hominum quocumque modo Hebraïzantium paucitate, ad Masclefiana castra quotidie se conferunt. Ex quo licet conjicere multò plures ad hanc disciplinam convolaturos, ubi confutatâ D. Guarini Præfatione, in quo Massorethanorum spes omnis inclinata recumbebat, constabit tanto patrocinio eorum causam non modò pejorem esse, sed etiam omnino perditam atque conclamatam.

Jam patet refelli D. Guarinum eâ ipsâ ad quam provocavit experientiâ. Quoniam autem & intelligimus & intelligimur, & in iis controversiis, in quibus quæritur an res fieri possit, maximè standum est experientiæ judicio, sequitur falsas esse rationes omnes qui-

bus fieri posse negat, ut intelligamus & intelligamur.

XXVIII.

Refellitur secunda novarum objectionum Massorethis genuinam vocum Hebraïcarum significationem perspectam fuisse.

» Ut evidenter probetur isthæc pro» positio, inquit D. Guarinus, » satis est quod Linguam Hebraïcam » in Captivitate Babylonicâ aut paulò » post planè non interiisse, sed eam à » Judæorum, si non majori, saltem no» biliori parte ita cultam fuisse, ut ad » Massorethas usque pervenerit ejus » notitia, ostendamus. Id autem cùm » ex Scripturâ ipsâ, tum ex historicis » Judæorum monumentis liquet.» Deinde tria profert Scripturæ loca, quibus probet apud Judæos ex Assyriâ reduces Hebraïcam Linguam ad Christi tempora, si non vernaculam, saltem notissimam fuisse. Mox varias enumerat sacri Codicis ante Hieronymum interpretationes atque adeò ipsam Hieronymi Versionem, qui cùm se Judæis in disciplinam dedisset Codices sacros, si D. Guarino fides, quinque & octoginta ante Massorethicam punctationem plus minùs annis fecit ex

Hebræis Latinos. Neque his contentus, Judaïcos annales impigrè pervagatur, & eorum qui Esdræ & magnæ Synagogæ Viris successêre Magistrorum pertexit indicem à Simeone Justo ad Judam usque Sanctum. Cujus Judæ Discipuli institutas in Babyloniâ jam inde à primâ Captivitate Academias adeò illustrâvêre, ut eas quæ in Judæâ erant obscuraverint. Jam verò tres illæ Academiæ, Pumbedithana, Nahardeensis & Sorana, ad annum Christi 1037. floruêre. Quâ quidem uberrimâ Virorum Hebraïcè doctissimorum copiâ, nec non perpetuo traditæ per manus eruditionis tenore fieri non potuit, quin sincera vocum Hebraïcarum significatio ad Massorethas usque propagaretur. pagg. 22. 23. & seqq.

Hujus argumenti nos Assumptionem pernegamus, liquere nimirum cùm ex Scripturâ ipsâ tum ex aliis monumentis, Hebraïcam Linguam semper à nobiliori saltem Judæorum parte sic fuisse cultam, ut ad Massorethas (*perfecta*) ejus notitia pervenerit. *Perfectam* hîc addo, de eâ enim agitur, hoc est, de plenissimâ & certissimâ Hebræi Codicis, saltem quòd spectat ad Grammaticam, intelligentiâ.

Ac primò quidem Scripturæ testimonia quæ prolata sunt expendamus. Primum habetur Nehemiæ 8. 2. 3. 8. *Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem coram multitudine Virorum & Mulierum cunctisque qui poterant intelligere .... Et legit in eo (libro) apertè .... in conspectu Virorum & Mulierum, & Sapientium & aures omnis Populi erectæ erant ad librum & legerunt in libro Legis Dei distinctè & apertè ad intelligendum & intellexerunt cùm legeretur.* Hebraïcè : *Et legebant in libro, in Lege Dei distinctè ponendo sensum ; & intelligere faciebant in lectione.*

Hic locus nihil aliud probat, nisi, postquam è Babyloniâ reditum est, adhuc fuisse quosdam qui & Hebraïca intelligerent, & Hebraïcè scripta aliis interpretari possent. Esdras & Sacerdotes ea quæ legebant vertebant in Chaldaïcum sermonem, quoniam Hebraïcus in exilio Babylonico apud Plebem exoleverat. Qui mos Chaldaïcis Paraphrasibus originem dedit. Adeò non putavit Masclefius Judæis omnibus post reditum ignotam fuisse Linguam Hebraïcam, ut probaverit extitisse nonnullos vel ad Macchabaïca tempora, qui eo sermone scriberent. Sed non assentimur erudito Benedictino, qui Codicem Hebræum Esdrâ Le-

vitisque prælegentibus citra Chaldaïcam interpretationem etiam à Plebe intellectum fuisse existimat; imò contrariam opinionem, velut Rabbinorum quorumdam nonnullorumque è Christianis singulare Commentum, respuit, quanquam ea sit cùm à Judæis tum à nostris longè receptissima.

Alter locus legitur Actorum 15. 21. *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.* Sed inde nunquam exsculpi poterit fuisse semper ad Christi tempora, qui plenam Hebraïci Codicis, notitiam adepti essent. Nam 1°. etiam si solæ Paraphrases lectæ fuissent, tamen Scripturæ verbis staret sua veritas. Nunquam verò D. Guarinus ostendet nullas fuisse Paraphrases iis quæ supersunt antiquiores. 2°. Ut verum sit Mosen Hebraïcè lectitari solitum, non ideo consequens est, eos à quibus legebatur exponebaturque sermonis Hebraïci fuisse callentissimos.

Mihi quidem certum videtur eum sermonem nunquam ita exolevisse, ut omnino ignotus esset saltem omnibus qui Plebi erudiendæ operam dabant. Sed aio cognitionem illam perfectiorem primùm, deinde multò imper-

fectiorem fuisse. Uberem integramque sacri Textùs intelligentiam Esdras & quidam Sacerdotes è Babyloniâ retulerint; illa inter paucos cæteris studiosiores religiosioresque temporibus proximè secutis utcumque perseveraverit; tandem, si non prorsùs evanescere, imminui certè exilior incertiorque fieri debuit ea Scripturæ notitia.

Judæi scilicet imparati erant ab omnibus subsidiis, quibus Linguæ jam demortuæ vel in occasum vergentis plenissima cognitio comparari retinerive possit, unicus illis liber Hebraïcè scriptus, neque tanti voluminis, ut voces rariores obscuriorave loca similium collationibus satis illustrarentur. Nulla tum lexica aut glossaria, nulla Grammatice. Sola pro omnibus erat vivæ vocis Traditio & quædam fortasse Paraphrases. Sed quæ libri sermone magis ac magis inusitato conscripti vivâ voce fiebat interpretatio, hanc nutare in dies ac labescere oportebat, partim docentium, partim discentium vitio. Jam verò cùm Paraphrases non verbum verbo redderent, sed sensum liberiùs referrent, ex iis hauriri non poterat exactissima cujuslibet vocis notio. His adde perturbatissimum sub Ægypti Syriæque Regibus Judaïcæ Rei-

publicæ ſtatum. Adde ipſius Gentis ingenium allegoriis per illa tempora deditum, litteralis Scripturæ ſenſûs incurioſum.

Aliud etiam eſt quo quidem plenam Hebraïci Textûs cognitionem maximè exaruiſſe & Linguæ ſanctæ ſtudium refrixiſſe crediderim; Pſeudo-Ariſteæ fabula. Cùm enim Græcis rerum potientibus eorum Lingua per Aſiam invaluiſſet, Judæorum multi Græcè noverant. Qui autem Græco ſermone imbuti eſſent, non video cur Hebraïcas litteras attigiſſent. Sanè ut θεοπνεύστους Scripturas legerent in ipſis fontibus. Sed quorſum is labor cum haberent præ manibus ſaltem Legis interpretationem Deo afflante, ut putabant, exaratam, Textûs Hebraïci tam expreſſam imaginem, ut ovum ovo, lac lacti non eſſet ſimilius?

In Palæſtinâ verò, ubi ſermo Græcus non erat vernaculus, cùm publicè legebatur Hebraïcus Codex, utcumque exponebatur vel ope ſcriptarum Paraphraſeôn, vel etiam hominum quâdamtenus Hebraïcè doctorum explicatione. Ii non canonum grammaticorum ductu, non certâ cognitione ſignificatûs vocum, ſed ubi ſeries orationis non pateret, divinando & con-

jiciendo sacri Textûs substantiam crassâ, quod aiunt, Minervâ in audientium animos traducebant. Neque enim ex uno vel altero Scripturæ loco summa Religionis pendet, & in corruptissimis Versionibus, qualem putat esse D. Guarinus LXXviralem quæ nunc legitur, ea omnia quæ ad fidem moresque pertinent retineri queunt. Quantumvis igitur vacillaret Judæorum interpretantium eruditio quibusdam in locis difficilioribus & vocibus ex se & ipsâ positione ambiguis, factum est divinâ providentiâ, ut Religio conservaretur. Retenta est etiam Hebraïci sermonis notitia, sed manca, sed imperfecta, sed qualiscumque, non ut vellet D. Guarinus plenissima & numeris omnibus absoluta.

De tertio quem affert testimonio idem dicimus. Is extat Joh. 5. 39. ubi Salvator Judæos sic compellat: *Scrutamini Scripturas.* Satis enim erat quòd quidam è Sacerdotibus & Scribis Hebraïcum Codicem intelligere aliquatenus possent, cùm ille non unâ vel altera vice, sed passim testimonium de Christo perhibeat. Satis etiam erat quod essent Paraphrases, in quibus omnia de Christo oracula nec depravata nec in alium sensum detorta essent.

Quòd verò contendit Vir clarissimus, Paraphrases dum Christus ageret in terris, nondum extitisse, idque constare apud omnes, maximè L. Cappellum, qui Onkelosi Paraphrasin confert in annum Christi 70. aut 72. malè profectò hic Cappelli auctoritatem advocavit. Nam ille ipse Cappellus, qui Targum Onkelosi recentiorem facit quàm vulgò solent, ibidem conjicit Jonathanem suam Prophetarum Paraphrasin paulò ante vel paulò post Christum natum adornavisse. Extabat igiturCappello Judice,dum Christus vitam hanc mortalem degeret, aliqua Paraphrasis. Jam verò illam Doctorum omnium consensionem sibi finxit eruditus Benedictinus. *Judæi Christianique consentiunt*, inquit Humphredus Prideaux primi subsellii Criticus, Historiæ Judæorum tomo 6. parte 2. pag. 211. Edit. Paris. *Targumim Onkelosi in Legem, Jonathanis in Prophetas Christi in hunc modum adventui saltem æquales esse.* Quæ verba, si paucissimos dissentientes excipias longè verissima sunt.

Equidem liquidò affirmare non possum, inquit Scriptor accuratissimus ibid. p. 222. & seqq. *utrùm Onkelosi Jonathanisque Thargumim Christi tempore jam recepti comprobatique forent. Hoc certissimum*

est jam tum fuisse non Legis & Prophetarum modò, sed etiam cæterorum antiqui Fœderis librorum Paraphrases, quibus & publicè & privatim Populus erudiretur. Nec enim apud Judæos illud receptum erat, occultandas esse populo sacras litteras. Inter Græcos dispersis eas Græcè, Chaldaïcè loquentibus Chaldaïcè versas porrigebant. Et cùm Domino Jesu in Nazarethæ Synagogâ, cujus ipse pars erat, altera lectio (nimirum Prophetica) ad legendum tradita fuit, simillimum est vero aliquem è Thargumim illi datum in manus, quandoquidem Esaiæ locus 61. 1. qualis extat Lucæ 4. 18. talis omnino non legitur neque in Hebræo, neque apud LXX. Ex quo rectè colligas id discriminis à Chaldaïcâ, quæ quidem in illâ Synagogâ lectitabatur, interpretatione duxisse originem. Et cùm Salvator è cruce pendens Psalmi 22. protulit initium Eli Eli lama sabachtani, *Chaldaïcè protulit non Hebraïcè. In Hebræo est* Eli Eli lama azabtani. Sabachtani *enim non nisi Chaldaïca vox.* Varia quibus Paraphraseôn antiquitatem tuetur Vir doctissimus legere in ipso libro operæ pretium erit; quorum quidem unum, quod subindicat tantùm, vellem urgeret magis, nimirum Scripturæ testimonia quæ ad Messiam pertinent nostro sensu à Paraphrastis explicari. Non enim, jam

exortis

exortis Christianos inter Judæosque concertationibus, vel ea Paraphrastæ scriberent quæ Christianorum causam juvant, vel cùm ea scripsissent, à Judæis tanto in pretio haberentur, nisi suâ forent antiquitate venerabiles.

Neque est quod objiciat aliquis, interdum favere Christianis præter Onkelosum & Jonathanem etiam alios Paraphrastas, quorum vel stylus ab illorum elegantiore Chaldaïsmo longè discrepans & inquinatus fædâ Linguarum etiam hodiernarum colluvie novitatem omnino sapit. Quod enim nobis aliquando favent novæ Paraphrases, id ipsum argumento est, illas utplurimum esse veterum Interpretum (quis scit an Onkeloso & Jonathane antiquiorum?) lacinias multis post ætatibus consarcinatas, & versas in plebeïum barbarumque sermonem ab Interpolatoribus, qui eas & Thalmudicis & suis infersêre fabulis.

Hactenus probatum à nobis est, nihil fuisse D. Guarino in Scripturâ præsidii, quo plenam Hebræi Codicis intelligentiam apud Judæos perseverasse ostenderet. Nunc de aliis monumentis seorsim videamus.

Ea est Massorethicæ causæ misera conditio, ut quibus argumentis Vir

doctissimus eam maximè sublevatum iri confidebat, iis maximè obruatur. Multas scilicet à LXXvirali ad Hieronymianam Versiones enumerat, ut probet Linguam Hebraïcam adeo excultam fuisse per ea tempora, quibus tot interpretationes adornatæ sunt, ut plena ejus cognitio ad Massorethas pervenerit. At contra illæ ipsæ Versiones evincunt plenam cognitionem ad Massorethas non pervenisse. Nam illi Interpretes vel perfectè vel imperfectè duntaxat Linguam callebant Hebraïcā. Si doctissimi fuerunt; ergo Massorethæ non admodum docti, qui tam sæpè vocales suppleverunt diversas ab iis quas Interpretes antiqui suppleverant. Si neges priscos Interpretes fuisse peritissimos; ne dicas igitur extitisse semper, qui integram sacri Textûs notitiam propagarent: quando quidem non alios invenies, qui doctiores fuerint quàm suâ quisque ætate veteres illi Translatores. *Hinc canis, hinc lupus urget.* Vertant se quocumque volent Massoretharum Patroni, nunquam ex his angustiis neque se neque suos Massorethas expedierint.

E tam multis Translationibus duæ nunc supersunt, quarum antiquissima quæ τῶν O dicitur stupendum in modum

cùm in multis aliis, tum præsertim quòd ad vocales supplendas attinet, discrepat à Massorethis. Recentissima quæ quidem Hieronymi est, quanquam ab illorum punctatione rariùs dissentiat, dissentit etiam sæpissimè. Aliarum, quæ magno rei Hebraïcæ malo perierunt, nihil extat præter fragmenta; sed ex quibus conjectare licet, quam sæpè iisdem characteribus diversam à Massorethicâ notionem subjecerint illarum Auctores. Variarum id genus lectionum è singulis Versionibus ingentem silvam congesserê Viri doctissimi. Itaque parcimus exemplis, ne actum agere videamur, & meritò rem illam quasi demonstratam assuminius. Jam verò si constantem in interpretando secuti sunt Traditionem veteres Interpretes; ergo novatores Massorethæ, qui eorum non institêre vestigiis. Quod si nulla fuit Veteribus satis certa Traditio quam sequerentur; non ergo Massorethæ *perpetuâ Traditione Linguam Hebraïcam edocti puncta vocalia excogitarunt simul & Hebræo Textui inscripserunt.*

Cùm autem re verâ Hebraïci sermonis Traditio in summâ quidem rerum satis constans in aliis benè multis variaverit (Antiquos enim non

infrequenter à se mutuò constat abire diversos) cur Massoretharum iis omnibus longè recentiorum placitis stare cogimur? Cur eorum punctatione veluti compedibus astringimur? Quin liceat etiam nobis nostro Marte ἑβραΐζειν, & diligenti cùm ipsius Textûs, tum antiquiorum Versionum collatione & reliquis Critices subsidiis adjutos expiscari, quis genuinus sit locorum impeditiorum sensus, quæ verior verborum ambiguorum significatio.

Quòd si quis in eo genere dux eligendus sit cui potissimùm inhæreamus, non alium certè quàm LXXviralem Versionem eligi malim. Quo enim tempore pars ejus saltem nobilior, Legis nimirum interpretatio, concinnata est, erant adhuc qui Hebraïcè intelligerent & scribere possent. Si reliqui libri ex eâdem officinâ prodiissent, si constaret satis accuratos fuisse Codices quibus usi sunt illi Interpretes, nisi denique tot nævis, Librariorum supinitate vel audaciâ, deformis tota Versio ad nos pervenisset, vix esset cur uspiam ab eâ discederemus. Cæterùm ubi constat LXXviros eodem modo, quod ad scriptos characteres, legisse ac Massorethas, longè potior esse debet ea-

rum quas supplevêre vocalium, quàm Massorethicarum auctoritas.

Quod spectat ad magnæ illius Synagogæ Viros, cæteramque successionem Judæorum Hebraïcè doctissimorum quam D. Guarinus recensuit: ut eâ de re Judaïcis Annalibus fides habeatur; ex iis quæ diximus certò conjici potest eos Doctores non magis constantem in docendo Traditionem secutos esse quàm Interpretes in vertendo secuti sunt. Unum addam. Etsi quælibet ætas magnum extulisset Judæorum proventum, qui Textûs sacri notitiam certâ Traditione ad Hieronymum retinuissent, aperit se nihilominus ingens ab Hieronymo ad Massorethas intervallum, quo quidem illa Traditio, si non prorsùs intercipi, certè non parum labefactari potuerit. Absunt enim ab Hieronymo non annis, ut putat D. Guarinus 85, sed 5 vel ad minimum 4 sæculis.

Habet ad manum, sat scio, D. Guarinus suas illas Babylonicas Academias, quibus immensum hoc spatium expleat. Sed quæ de illarum Academiarum origine, successione, celebritate, duratione circumferuntur à Judæis, ea nituntur solâ Judæorum fide, quæ per se se vana subleſtaque est. *Ex quo Pa-*

triâ expulsi sunt, inquit Grotius ad Matth. 24. 24. *omnis apud illos historia crassis erroribus & fabulis est inquinata; quibus proinde nihil credendum est, nisi alii testes accedant.* Itaque semper hîc restaret scrupulus, quem è cordati Lectoris animo D. Guarinus nequaquam eximeret; ergo nullâtenus ostendit *Linguam Hebraïcam à Judæorum saltem nobiliori parte sic excultam fuiße, ut ad Massorethas usque pervenerit ejus notitia.*

XXIX.

Refellitur tertia novarum objectionum petita ex eo quòd dicat Apostolus credita esse Judæis eloquia Dei; *& illius occasione demonstratur sine vocalibus Maßorethicis vel expressis vel subintellectis Codicem Hebraïcum intelligi posse.*

» Ex Apostolo, inquit, Judæis cre-
» dita sunt eloquia Dei; ergo cum
» litteris consonantibus creditæ sunt
» illis & vocales... Si quidem (con-
» sonantes) vocalibus aut expressis aut
» subintellectis destitutæ, ut nihil so-
» nant ita significant nihil; vel, ut di-
» ximus, nihil aliud sunt quàm nasus
» cereus, corpus expers animæ....
» ergo vocales sive punctaMassorethica
» quæ illas repræsentant, quod spectat

ad eorum unà cum litteris significan- «
di potestatem, ejusdem sunt & anti- «
quitatis & auctoritatis cujus sunt litte- «
ræ ipsæ consonantes. pp. 27. »

Primi Enthymematis consequens negamus; ejusque probationem, nempe consonantes vocalibus vel expressis vel subintellectis nihil esse præter nasum cereum, corpus expers animæ, obviâ distinctione post Cappellum jam solvit Masclefius. Consonantes spectari possunt in vocibus vel extra vel intra orationis seriem collocatis. Pleraque verba, si nuda & à cæteris omnibus abstracta consideres, non unam rem significare possunt; at negamus eadem passim ad varios sensus flecti posse, ubi conjuncta aliis filoque orationis intertexta sunt. In omnibus Linguis tantùm pollet orationis junctura & series, ut è vocibus æquivocis certissima sæpè constet sententia. Si quæ etiam sententiæ paulò obscuriores per se incertioresque sint; illæ tum iis quæ vel sequuntur vel antecedunt, tum scribentis loquentisve consilio, genio, tempore, conditione, tum adjunctis aliis sic illustrantur, ut evanescat omnis ambiguitas. Sic etiam in Textu Hebraïco, dum alia aliis lucem fœnerant, è partibus quamlibet ambiguis sole clarior ferè exurgit oratio.

Quòd si quibusdam in locis, omni ratione subductâ, duo pluresve sensus optimi remaneant, quorum quis potior sit, incertus hæreas; noluisset, credo, D. Guarinus ex eo colligere, Textu non punctato divina eloquia nequaquam contineri: nec enim ab ipsis Massorethis adeo definita sunt omnia, quin variis locis multiplex sensus oboriatur. Quo fit ut recentiores, quamquam ex illâ punctatione toti pendeant, Interpretes in iis vertendis non consentiant. Et hæc quidem satis erant ad subruendam eruditi Benedictini argumentationem. Sed quoniam idem passim repetit, Textum Hebraïcum sine vocalibus Massorethicis, nihil aliud esse quàm *nasum cereum*, *materiam primam*, *corpus expers animæ*, danda est hîc semel opera, ut radicitus hunc errorem evellamus.

Sic ergo Textum Hebraïcum vocalibus punctis vel expressis vel subauditis destitutum intelligi posse demonstrari potest.

1°. Textus Hebraïcus per se aliquid significat, si eo etiam tempore, quo Hebraïcus sermo fuit vernaculus, qui Hebræa legebant non vocalium subauditarum præsidio Codicis intelligentiam assequerentur, sed potiùs è

Codicis sensu colligerent, quibus punctis vocalibus characteres pronunciandi forent: atqui res saltem utplurimum sic se habebat; ergo significandi vis, essentialis præsertim & primaria, solo Textu Hebraïco quantumvis nudo continetur.

Hujus syllogismi enunciationem non negaret D. Guarinus. Probanda est Assumptio; nempe jam olim eos qui Hebræa legerent non è punctis vocalibus sensum, sed puncta vocalia è Codicis sensu quem perceperant, utplurimum fuisse consecutos. Quod ita ostendimus. Ut Lectores punctis vocalibus ad characterum intelligentiam deducerentur, oportebat eos quænam hoc vel illo loco supplendæ vocales essent priùs scire, quàm hunc vel illum locum intelligerent, priùs, inquam, si non tempore, saltem ratione; atqui sæpenumero scire non poterant citra Textûs intelligentiam, quæ vocales supplendæ essent. Enunciatio adhuc certa est. Assumptionem sic probamus. Qui librum habebat præ manibus, ille tribus solùm modis rescire poterat, quænam vocales supplendæ forent; vel quia id ipsum Linguæ cognitione compererat; vel quia sic edoctus erat à Magistris; vel quia Textûs series mone-

bat : ſed id doceri non poterat Linguæ ipſius cognitione ; quamlibet enim ſermonem calleret Hebraïcum , eo ipſo nihil ſciebat aliud , niſi hos & illos characteres his & illis vocalibus ſignari poſſe , non autem quibus revera tali loco ſignandi eſſent.

Doctrina etiam Magiſtrorum ſive Traditio ſaltem nec ſemper nec ubique legenti ſatis erat. Nam 1°. Ecquis tam multas verborum myriades , quot quibuſve punctis ſingulis in locis efferrentur, animo retineret, niſi locorum contextus labantem fulciret memoriam. At ſi veteres Hebræos *exigentiâ loci* adjutos fuiſſe nemo ſanus inficiabitur , haudquaquam ergo ſpernenda eſt *ſacra illa* Maſclefii *ancora* , cùm ad illam ſteterint homines qui Hebraïcæ Linguæ notitiam cum nutricum lacte biberant. 2°. Non negamus Magiſtrorum Traditionem aliquid momenti attuliſſe legentibus ad ſupplendas vocales in iis libris quos quidem in ſcholis lectitarant. Sed illam, quamlibet utilem, minimè neceſſariam fuiſſe contendimus ; quin etiam homines nullâ Traditione inſtructos Hebraïca legiſſe nihilo ſeciùs & intellexiſſe. Si enim Traditio prorsùs neceſſaria fuit, eam neceſſitatem tot abſurdorum mil-

ſia conſequuntur, ut à nullo conco-qui poſſint. Grandi ex acervo quædam ſeligimus. Hebræorum nemo quamlibet induſtrius & ſagax ſine Magiſtro legendi rationem diſcere poterat. Si quis unius libri lectionem à Magiſtris edoctus eſſet, non ideo legeret alios. Qui Geneſin, non etiam Exodum; qui Legem, non idcirco Prophetas evolveret. Imò ſi quis totam Hebræorum Bibliothecam Magiſtris enucleantibus, uno libello excepto, devoraſſet, tam in illo libello videbat homo doctiſſimus, quàm qui videt nihil.

Non omnes Hebræorum libri vel eodem tempore, vel ab iiſdem Auctoribus ſcripti ſunt. Multorum qui quidem intercidêre mentio fit in ſacris Litteris. Quamplurimos exaraverat Salomon, quo etiam teſte jam tum homines ſcribendi prurigo inceſſerat. *Faciendi plures libros nullus eſt finis*, inquit Eccleſiaſtæ 12. 12. Prodiret igitur in lucem novus liber; cùm nec ſupplendæ vocales ſcriptæ eſſent, neque ulla extaret earum ſupplendi Traditio, hîc cæcutire & obmuteſcere oportebat omnem Doctorum ſapientiam. Qui in Iſraële Magiſtri erant, iis repueraſcendum, & à novi Scriptoris ore pendendum fuit. Quid ſi Scriptor ante traditam

libri sui legendi rationem emoreretur? Actum erat de abortivâ illâ scriptione; & quamvis furtivæ etiam Steganographorum notæ adhibitâ industriâ ferè divinentur, Hebraïcum ænigma qui solveret, nullus erat Oedipus. Itaque simul cum mortuo efferendum erat aliud illud *cadaver exsuccum & inanime, truncus iners & exanguis*; si quidem vitales illas vocales secum moriens Scriptor abstulerat, quarum ope *fieret in animam viventem*.

Jam verò nisi Hebraïcè scripta sine vocalium supplendarum Traditione intelligerentur, nullum esse poterat epistolarum inter Hebræos commercium. Quorsum enim alter scriberet alteri, cùm nudas litteras, hoc est *nasum cereum* absenti transmitteret? Nisi si fortè Tabellario legeret epistolam & è bajulo faceret etiam Interpretem. Quod si faceret, non video cur omnino scriberet, nec potiùs Nuncio prò epistolâ uteretur. Hæc sanè absurda sunt & eò magis absurda, quòd non ad unam Hebræorum Gentem pertineant, sed ad Chaldæos, Syros, Arabas, aliasque Nationes, quarum scribendi ratio Hebraïcæ similis erat, vel etiam est hodieque. Verùm his incommodis demonstratur neque ad intelligendum Tex-

tum necessariam fuisse punctorum vocalium Traditionem, & Textum eâ absente sæpenumero intellectum. Ergo non Linguæ cognitione, nec utplurimum Traditione docebantur Hebræi quæ quibus vocabulis supplendæ vocales essent. Ergo restat, ut ipsâ Textûs serie docerentur. Ergo Textûs intelligentia saltem, ut aiunt, ratione antecedebat vocalium hoc & illo loco subjiciendarum cognitionem. Ergo non à vocalibus punctis ad Codicis sensum, sed à Codicis sensu ad vocales deveniebant. Ergo Textus Hebraïcus sine punctis significat aliquid. Ergo non est *nasus cereus*. Quod erat demonstrandum.

2°. Quicquid de veteribus Hebræis diximus, ferè dictum esto de Massoretharum Discipulis cùm volunt Hebræa non punctata legere. Nam præterquam quòd plurimæ sunt voces, quæ licet adhibitis eorum apiculis maneant ambiguæ, & quarum significatio nonnisi ex antecedentibus & consequentibus, ipso fatente D. Guarino, deprehendi queat; quo pacto sciunt incertos illos & cereos qui ipsis ob oculos versantur characteres hoc potiùs quàm illo modo punctandos esse. Memoriâ an judicio? Non semper memoriâ; ni-

si si omnem Codicem cum infinitâ illâ punctorum farragine penitùs animo defixerint. Quod quidem tantum non instar miraculi habendum esset. Utcumque ergo memoria in punctandis quibusdam locis valeat, certè Judicium passim dominatur. Scilicet cùm Textûs punctati lectione didicerint verbi gratiâ his characteribus דבר varias notiones subjectas esse, nimirùm *loqui*, *locutus est*, *loquens*, *verbum*, *pestis* &c. & pro variis significatibus per alias atque alias vocales à Massorethis efferri; ubi occurrit vox דבר, ex orationis tenore dispiciunt, quo significatu vox accipienda sit: deinde iis vocalibus pronunciant queis Massorethicè profertur in illâ significatione.

3°. Si Textus Hebraïcus vocalibus subintellectis carens nihil significaret, nec legi nec intelligi possent Judæorum commentarii, adeoque omnia penè eorum scripta, quæ sunt punctis planè nuda. At hoc falsissimum esse contestatur quotidiana Judæorum & Christianorum experientia, qui scripta illa & legunt & intelligunt. Videsis L. Cappellum Arcan. punct. lib. 2. c. 22. n. 10. Neque id fit ope subintellectarum vocalium. Nulla est enim saltem apud Christianos Rabbinica scripta

punctandi Traditio. Quid si homo punctariæ eruditionis expers aliquod epistolium Hebraïcum scriberem homini Massorethicè tantùm docto? Intelligeret profectò. Igitur Hebraïcè scripta sine punctorum auxilio intelliguntur, & iis qui puncta supplent punctationem illam peperit Textûs intelligentia.

4°. L. Cappellus rem decretoriis exemplis confirmat maximè N. Clenardi & Th. Erpenii, qui αὐτοδιδάκτως, sine Grammaticâ, sine Lexico, è Codicibus Arabicis non punctatis, pauculis quibusdam interpretationibus adjuti, Arabica non legere quidem legitimè, sed intelligere didicerunt. Consulendus est ipse Cappellus Arcan. punct. l. 2. c. 28. n. 3. & seqq. ubi fusè rem enarrat; deinde sic concludit: *Certè minore negotio minùsque operosè, quàm vel Clenardus vel Erpenius consecuti sunt Arabicæ Linguæ peritiam, potuisset olim & etiamnum posset Vir aliquis industrius, quique ingenio, memoriâ & facultate στοχαστικῇ polleret, consequi Hebraïcæ Linguæ cognitionem tantam, ut ex eâ verum & germanum sacri Textûs Hebraïci sensum & mentem certò deprehendere posset (etsi Textum ipsum legere non posset) adjutus, uti dixi, vel LXX. Interpretum,*

vel quâlibet aliâ sacrorum Bibliorum Translatione: imò & ipsius Translationis vitia atque hallucinationes, si quæ forte sint, ex eâdem cum Textu Hebraïco collatione, adhibito studio & diligentiâ posset idem deprehendere atque emendare. Quantò facilius factu id jam est, cùm præter illam Translationem tot aliis adjuvamur subsidiis!

Dabit nobis, spero, veniam Legentium æquitas, si rem manifestam nimirùm probavimus. Eò nos adigit eruditus Censor, qui totâ passim Præfatione inprimis pagg. 44. & 45. adversùs rem certissimam pro demonstrationibus venditat objectiunculas minutas. Singulas persequi non est animus; nisi quòd paucis volo è Valentinianorum grege nescio quem Hereticum, qui in arenam cum Masclefio digladiaturus inducitur pagg. 46. & seqq. Cujus certaminis exitu, victo scilicet Masclefio, D. Guarinus ostensum cupit, in Hypothesi Masclefianâ Scripturam omnibus omnium Hæreticorum deliriis inermem atque indefensam propinari.

Is ergo Valentinianus, quem ab Inferis excitavit, » mundum ab יהוה, hoc » est, Deo optimo maximo conditum » negat, sed solam ex quâ factus est » materiam. Itaque primum Geneseos » versiculum sic interpretabitur: *In*

principio creatus est Elohim cum Cœlo & Terrâ. In hâc versione unicum mutabit punctum, nempe pro *Bara* in Qal *creavit*, leget *Bora* in Pual *creatus est.* Ex hâc autem punctatione colligit Valentini discipulus, eum qui sex diebus operatur non esse summum Deum; sed inferiorem quamdam naturam, scilicet δημιεργὸν qui creatam secum materiam ordinavit, Deusque appellatur, juxta Irenæum, *eò quòd dominetur conditionis.* Urget Masclefium Hæreticus & ostendere nititur, nihil illi neque in loci exigentiâ, neque in antiquarum Versionum auctoritate, neque in aliis quibuslibet exceptionibus relictum esse, quo prima Geneseos verba ab illo suo interpretamento vindicet in Catholicum sensum. Singulis frigidè ac jejunè respondet Masclefius. Scires Adversarium sua illi responsa commodare. Nos verò Valentiniani loquacitatem, omissis nugis istis, agedum compescamus.

Elohim ille de quo agitur primo Geneseos versiculo idem est qui hanc rerum universitatem intra septimum diem absolvit: hoc fatetur Valentinianus; at illum sex dierum Opificem Moses capite sequenti nominat יהוה: *Istæ sunt generationes Cœli & Terræ, quando creata sunt in die quo fecit Domi-*

nus Deus יהוה אלהים *Cœlum & Terram....*
Non pluerat Dominus Deus super Terram...
Formavit igitur Dominus Deus hominem,
& sic deinceps; ergo ipsemet יהוה ille est de quo agitur initio Geneseos. Cùm autem, ex ipsius Valentini principiis, Dei illius opt. max. natura increata sit, sequitur insulsissimam esse hanc interpretationem: *in principio creatus est Elohim cum Cœlo & Terrâ.*

Hic Valentinianus plaudebat sibi, quod in primis Scripturæ verbis cavillando nos antecedentium, quæ nulla sunt, ope destitutos in angustum coëgisset. At mirum est illum adeo non prævidisse ea quæ consequuntur, ut ignorarit suam punctationem totâ Scripturarum mole obrui, quæ cùm in veteri tum in novo Fœdere unum eundemque & mundi Conditorem & supremum increatumque Numen à capite ad calcem prædicant. Fortasse quidem ejus interpretatio nihil habet quod ab Hebraïcâ Linguâ sit prorsùs alienum. Dico *fortasse*; nec enim, fatente D. Guarino, vox ברא passivâ significatione sensu *creandi* legitur apud Scriptores sacros. Quapropter hîc saltem incertum pro certo substituitur. Sed demus hanc vocem sic accipi posse. Num idcirco etiam debet? An ut

periodus quædam salvis Grammaticæ legibus sensum aliquem parit, ita licet eum sensum quamvis absurdum pro lubitu suo statim arripere? Absurdum autem voco non eum duntaxat qui rationi adversetur, sed eum etiam qui cum antecedentibus vel consequentibus, cum Scriptoris scopo, præsertim cum totâ Scripturæ totius inter se συναρμογῇ & analogiâ consistere nullatenus possit.

Præterea veterum Interpretum maximè LXXvirûm auctoritate Valentinianus etiam in Hypothesi Masclefianâ revincitur. 1°. Enim quo tempore saltem Pentateuchus à LXXviris translatus est, erant etiam tum qui Hebraïcè intelligerent & scribere possent. 2°. Fac regnante Philadelpho obliterari cœpisse plenam sermonis Hebraïci notitiam, non ideo nulla foret LXXviralis Versionis auctoritas. Neque enim cæteræ Versiones auctoritate carent, & iis tamen elucubratæ sunt temporibus, queis jampridem incerta esset vocum Phraseônque multarum notitia. Desideramus quidem in illarum Auctoribus absolutam ex omni parte sermonis Hebraïci facultatem; minimè tamen contemnendam agnoscimus, & quanta satis esset, ut totum illud factorum dog-

matumque corpus, quibus Revelatio continetur, suâ quisque interpretatione non adumbrarent modò sed etiam exprimerent. Quemadmodum autem dubiam fuisse quorumdam locorum significationem meritò judicamus eò quòd in illis interpretandis alius aliorsum abeat, imò sibi ipsi nec semper nec ubique constent; sic etiam longè plura fuisse certissima concludimus cùm in iis, quamlibet in aliis diversi, consentiant. Quid est autem in quo magis omnes ad unum consentiant, quàm in interpretando Geneseos initio contra quàm redivivus ille Valentinianus interpretatur? Neque, si litterulis tantùm Hebraïcis imbuti fuissent Interpretes, eos in ipso limine offendisse credendum est. Quantulâ enim opus erat Linguæ peritiâ, ut verum ejus loci sensum adipiscerentur, cùm sit primum totius Scripturæ comma, & primarium atque immutabile tum Judaïcæ tum Christianæ confessionis caput. Igitur illi Valentiniano citra vocales Massorethicas os occluditur; neque hôc neque similibus exemplis evicerint Massoretharum Patroni, ut sit anceps & quamlibet in partem versatilis Textus Hebraïcus, nisi si Massoretharum apiculis definiatur.

XXX.

Solvitur quarta novarum objectionum ex eo ducta quòd Augustinus Judaïcam Nationem appellat Christianorum scriniariam.

SECUNDUM Augustinum, inquit « D. Guarinus, unius veri Dei pro- « videntiâ per universum ferè orbem « dispersi sunt Judæi, ut quæ Codices « nostri continent, ea nequaquam à « nobis conficta esse testificentur. Id au- « tem testimonii dare nequeunt, nisi li- « bros suos grammaticè intelligant. Ne- « que enim sufficit ut mulorum Maria- « norum instar eos tantummodo baju- « lent; sed illos etiam interpretentur « necesse est. Enimvero uter eos inter- « pretabitur Christianusne an Judæus? « Si Christianus, num fidem ei habebit, « qui ad illos provocatur, incredulus. Si « Judæus, ergo debet eos intelligere. « Quomodo autem eos intelligere po- « terit, si potiorem vocum partem « nempe vocales ignoret. Ergo singula- « ri Dei Providentiâ saltem apud Ju- « dæorum Proceres perpetuâ & consf- « tanti Traditione servatæ sunt vocales « ad Massorethas usque Tiberienses, « qui excogitatis à se punctis unicuique «

» veterum vocalium, ubi scribuntur
» distinctivum suum in significando so-
» num tribuerunt, ubi verò deficiunt,
» eas supplevêre. p. 28. »

De præclarâ illâ argumentatione, nisi D. Guarino quantivis pretii videretur, altùm silerem, tam malè cum Augustini dictis cohærent quæ Vir doctissimus ex iis elicit consectaria. Quod enim Judæi libris suis nostros minimè confictos fuisse testantur, id non eò præcisè fit, quia Codices Hebræos habent, aut eos è Massoretharum canonibus & legunt & grammaticè intelligunt. Non præcisè, inquam, eò quòd Hebræos Codices habent. Nam 1°. fac sublatum esse è rebus humanis divinum illud ἀρχέτυπον, neque Judæis, neque Christianis quicquam relictum esse præter aliquam Versionem; nonne etiam tum ad Judæos provocaret Christianus? Nonne factâ cum nostris Judaïcorum exemplarium collatione omnem falsi suspicionem à nobis removeret. 2°. Hellenistæ, tanta Judæorum portio, saltem in plerisque Synagogis Scripturam Græcè lectitabant, Textum Hebræum vel non habebant vel non intelligebant, ut quidem fert communis opinio; nec sanè contrarium ostendi potest. An idcirco capsarii li-

brariique nostri non erant? Certè qui illo argumento utitur plurimùm Augustinus nusquam Hebræos appellat Codices, nusquam se de illis unicè loqui vel subindicat.

Non ideo etiam Hebræa gens scriniaria dicenda est Christianorum, quòd in legendis explicandisve Codicibus Hebræis Massorethicas vocales adhibeat. Nam 1°. cùm absque vocalibus Textus intelligi possit; licet Judæi non eas curarent magis quàm vel ipse Masclefius, tamen adversùs incredulos valeret Judæorum auctoritas. 2°. Si penderet à Massorethicis vocalibus Judaïcum illud testimonium, olim nullum fuisset; si quidem Judæi non semper easdem inter legendum usurpavère vocales, quas postmodum Tiberienses expressère. 3°. Adeo non lectione Massorethicâ Judaïcæ Gentis nititur testimonium, ut contra luculentius illustriusque foret, si Judæi vel eam non sequerentur, vel ei certè nimio plus addicti non essent. Quantò enim major est libros nostros inter & Judaïcos concordia, tantò clariùs elucet bona Christianorum fides, tantò magis refellitur incredulorum calumnia. Porrò si neglectis Massoretharum punctis aliisque distinctionibus LXXviralis Ver-

sio & Vulgata cum Hebræo comparentur, quæ Massorethicè legentibus occurrunt discrimina, ea bonam partem evanescunt.

Patet ergo Judæos minùs favere Christianis, dum puncta vocalia, cæteramque Tiberiensium supellectilem ejusdem ac ipsos characteres auctoritatis esse contendunt, quàm si morosâ superstitione liberi omnem sacri Textûs essentiam in solis characteribus reponerent. Igitur non eò præcisè quòd libros Hebraïcos legunt, multò minùs quòd Massorethicè legunt, nostros libros à nobis minimè procusos fuisse testati sunt hactenus ab ipsis Ecclesiæ incunabulis. Quî verò testati sunt & etiamnum testantur, inquies? Eò quòd Scripturas olim habuerunt & habent hodieque. Scriptura autem dicenda est non solùm ipsi fontes, sed etiam Versiones quæ quidem ab illis derivatæ sunt. Absque hoc enim foret, uti sacris Litteris diu caruisset ac ferè careret etiamnum Ecclesia. Ipsum autem Archetypum, quanquam intrusis Massorethárum glossematis angustiùs quàm oportebat & quandoque perperam circumscriptum definitumque sit, Scriptura vocari debet, non solùm quòd omissis Massoretharum interpretamen-

tis

tis sincerum legi possit, sed etiam quia Deo providente factum est, ut in perpetuo illo quasi commentario Revelationis antiquæ summa retineretur. Nam licet Massorethæ quædam vaticinia suâ punctatione Christianis ereptum ivissent, non ideo sequeretur Textum punctatum Scripturam vocari non posse. 1°. Enim si quæ sunt fraudes id genus, eæ sunt rarissimæ. Cæteræ varietates in rebus quæ nihil ad fidem moresve pertineant ferè versari solent. 2°. Iis in locis quibus Recutiti illi sensus alienos affingere voluisse creduntur, nihil certè substituêre falsi, nullum errorem invexêre. 3°. Quamvis nonnulla oracula detorsissent, alia satis multa vel cum eorum vocalibus relicta sunt, quibus Christiani dogmatis veritas demonstretur. 4°. Idem propemodum de punctariâ expositione, quod de Translatione Græcâ, debet esse judicium, quæ licet depravata plurimis in locis pro Scripturâ nihilo seciùs habetur.

Igitur eodem ferè modo Judæorum è Massoretharum præscriptis legentium auctoritatem appellamus adversùm incredulos atque appellaremus, si vel unicâ τῶν O vel aliâ quâlibet Versione uterentur. Ex eo quòd utentes illâ Ver-

sione Judæi *bajularent Legem & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ*, malè colligeret aliquis, Judæis ejus interpretationis ope grammaticum θεοπνεύστου Scriptoris sensum ubique perspectum esse, receptam fuisse semper apud Judæos eamdem interpretationem, citra illius interpretationis lucem Textum esse meras tenebras merumque nihil; nusquam erraſſe Interpretem &c. Sic etiam eò quòd Judæi Massorethicas vocales adhibent, falsò concluditur iis vocalibus grammaticum Scripturæ sensum contineri, Judæos iisdem semper usos vocalibus, nihil erratum à Massorethis, sine eorum punctis sacrum Codicem intelligi non posse, illorum distinctiones tam sanctas esse quàm scriptos characteres, atque ad ipsam Textûs substantiam pertinere.

Jam, credo, patet ex dictis, ne minimam quidem argumentationis Guarinianæ particulam posse consistere; tam in illo Achille, nuda infirmaque sunt omnia. Sed piget in re tam apertâ diutius immorari.



XXXI.

Solvitur quinta novarum objectionum, nihil colligi posse, quod Massorethicam pronunciationem labefactet, ex eo quòd Massorethæ non raro puncta vocalia substituêre diversa à vocalibus quas veteres Interpretes suppleverant.

TAM in confesso est Interpretes antiquos diversas à Massorethicis non raro substituisse vocales, ut id conceptis verbis D. Guarinus ipse fateatur. Sed quò non homines etiam doctissimos transversos agit opinionum præjudicatarum tyrannis, & partium quas semel susceperint tuendi cupiditas! Non sensit Vir Clarissimus hoc argumento suæ causæ jugulum peti; & adversùs illam dissensionem repugnat, ut potest, minutis rationibus. Has autem contra L X Xviros exceptiones adhibet: » Eruditis non paucis fabulam videri Aristeæ narrationem: omnes veteris Testamenti libros non ab unis sed à diversis Interpretibus redditos: Versionem illam fœdè vitiatam ad nos pervenisse, ut patet vel infinitâ variarum Editionum discrepantiâ.

» Quod attinet ad alios Græcos, Aqui- «

„ lam, Theodotionem &c. ait illos à
„ Magiſtris non omnium peritiſſimis
„ doceri potuiſſe; potuiſſe etiam vel me-
„ moriæ lapſu vel imperitiâ veram lec-
„ tionem, quam edocti erant, inter-
„ pretando negligere. Iniquum eſſe è
„ privatorum hominum lectione carpe-
„ re Maſſorethicam, quæ apud omnes
„ Judæos etiam Karaïtas omnium ferè
„ Traditionum oſores ſemper obtinuit.
„ Denique illos Interpretes, maximè
„ LXX. non minùs in conſonantibus
„ legendis quàm in ſubſtituendis voca-
„ libus à Maſſorethis diſcrepare; ex quo
„ ſequeretur rejiciendas etiam eſſe ho-
„ dierni Textûs Hebræi litteras con-
„ ſonantes.

„ Jam verò Hieronymum, cùm re-
„ cedit à lectione, quam poſtea tradi-
„ derunt Maſſorethæ, quæque illius æ-
„ tate vigebat apud Hebræos, id fa-
„ cere, vel quia in rebus leviſſimi mo-
„ menti, & quæ pluribus ſenſibus ſal-
„ vâ veritate exponi poſſunt, alium
„ à Maſſorethis ſenſum exhibere vo-
„ luit, quòd à Præceptoribus ſuis di-
„ diciſſet *ſeptuaginta eſſe facies Legis*,
„ hoc eſt, plurimos ejus explicandæ
„ modos: vel eum non nihil largiri vo-
„ luiſſe LXX. Interpretibus, ne ob[illegible]-
„ tatorum in ſe invidiam magis magiſ-

que concitaret. Mixtam esse ex par- «
te cum Hieronymianâ veterem I- «
talam. Loca quæ S. Doctor aliter ac «
Massorethæ interpretatur à Librariis «
& sciolis depravari potuisse. » Atque «
his argumentis efficere se posse confidit eruditus Benedictinus, nihil ex illis Interpretibus colligi posse, quod vel tantillùm elevet Tiberiensium suorum auctoritatem, pagg. 29. 30. 31. 32. Quæ rationes etsi dilutæ sunt, demus tamen hoc nostri Censoris famæ atque eruditioni, ut eas refellamus.

Scimus Aristeæ narrationem non paucis fabulam videri; imò qui fabulam neget verè doctum putamus nunc esse neminem. Quæ LXX. Senum nomine circumfertur interpretatio, hanc à diversis Interpretibus profectam esse tam credimus quàm qui maximè. Sed hæc quid ad rem? An minùs certum est nobilissimam ejus Versionis portionem auctoritate publicâ fuisse comprobatam sub illa tempora quibus erant adhuc homines, qui Hebraïcæ Linguæ notitiam non incertâ vel nimis longinquâ Traditione exceperant? An minùs constat ferè cæteras illius interpretationis partes extitisse multis ante Christum sæculis, totamque Versionem quæ dicitur τῶν O pari cum Archetypo ve-

neratione habitam à Judæis ἑλληνίζουσι primis Ecclesiæ temporibus: hanc à sacris N. T. Scriptoribus ferè usurpatam, eoque veluti lacte adolevisse Ecclesiam Christi.

Haud inficiamur (quis enim neget?) opus illud suâ canitie venerandum plures contraxisse maculas, dum per impuras Criticorum & Librariorum manus ad nos devolvitur. Sed etsi nonnunquam in mendo cubat, variisque abundat lectionibus & interpolationibus Græca Versio, non ideo tamen corruptam prorsùs atque deperditam esse vel ex eo intelligas (ut omittamus alia) quòd & Apostoli & Philo & Fl. Josephus Codices à nostris parum diversos legisse videantur. Ut autem quid valeat D. Guarini exceptio, necesse est ut eam illis omnibus locis depravatam esse demonstret, quibus alias vocales subjecerunt LXX. quàm Massorethæ. Quod quidem D. Guarinus nunquam ostenderit; nos verò contrarium sic probabimus.

1°. Innumerabiles sunt loci, in quibus omnes τῶν LXX. Editiones consentiant, à Massorethicâ lectione diversissimi, quorum diversitas à variis vocalibus aliisque distinctionibus oritur. Aio locos illos minimè omnium

depravationis argui posse, quandoquidem liquet cur illo modo verterint Interpretes. Exempli causâ Genes. 4.7. Deus Caïnem his verbis alloquitur: הלוא אם תיתיב , שאת , ואם לא תיתיב , לפתח חטאת רבצ. Intelligunt Massorethæ, *An non si bene feceris, feres? Si verò non bene feceris, ad portam peccatum jacet.* LXX. Οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. *Nonne si rite obtuleris, rite autem non diviseris, peccasti? Quiesce.* Interpretationis diversissimæ in promtu causa est. Quatuor voces aliis alii vocalibus extulêre. שאת pro variis vocalibus est vel *tulisti* sive *feres*, vel *ferre* seu *offerre*. LXX. תיתיב שאת ad verbum intellexerunt, *bene fecisti offerre*, hoc est, *rite obtulisti*. לפתח significat vel *ad portam* vel *ad dividendum*. חטאת potest esse vel *peccasti* vel *peccatum*. רבץ etiam potest esse participium *quiescens, jacens*, aut imperativum, *quiesce*. LXX. putarunt sensum esse completum post vocem חטאת; Massorethæ non nisi post רבץ. Neque hoc solùm in loco, sed in aliis quamplurimis LXX. à Massorethis dissident, quòd eosdem characteres non iisdem vocalibus signaverint, vel quòd aliter distinxerint. Insulsè verò, ut quid explices, cùm adest ad manum expedita ratio, ad causam

incertam confugias. Cur ergo Criticorum hîc accuses audaciam? Cur vapulet innocens Librariorum industria?

2°. Quæ novi Fœderis Scriptores è Græcâ Versione proferunt ipsissimis verbis quibus nunc in eâ leguntur, ea sanè pro genuino Interpretum illorum fœtu agnosci debent. Quibus enim indiciis, quo teste probaretur Græcam Interpretationem jam tum fuisse corruptam? Porrò illa testimonia sæpè diversam præ se ferunt à Massorethicâ lectionem natam à diversis vocalibus. Act. 15. 17. Jacobus laudat hæc Amosi verba (Amos. 9. 12.) *ut requirant cæteri hominum Dominum*, οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων. Apud Amosum legitur שארים אדם. Massorethæ intelligunt & legunt, *reliquiæ Edom.* LXX. quos sequitur Jacobus, *reliquiæ Adam*, id est, *hominum.* Hebr. 11. 12. Jacob moriturus dicitur adorasse ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ ex Genes. 47. 31. ubi est in Hebræo על ראש המטה. Verbum מטה cùm variis vocalibus instructum variam habeat significationem, LXX. ῥάβδον, id est, *baculum*, Tiberienses *lectum* interpretati sunt: *adoravit ad caput lecti.* En exempla omni exceptione majora. Qui plura volet adeat Cappellum *Criticâ Sacrâ* & alios.

Sed instat Eruditus Censor, » Sanc- «
tus Hieronymus sexcenties Judæorum «
interpretationem LXX. Versioni an- «
teponere nihil dubitat : imò *contentio-* «
sos appellat qui relictâ *veritate Hebraï-* «
câ, ut loquitur, Interpretum illorum «
lectionem pertinaciter sequebantur. «
Quærimus, inquit Comment. in Ose. «
13. 3. *quare LXX.* pro fumario *quod* «
Theodotion transtulit καπνοδόχην, lo- «
custas *interpretati sint. Apud Hebræos* «
locusta & fumarium *iisdem scribun-* «
tur literis Aleph, Res, Beth, He. «
Quod si legatur ARBE, *locusta dicitur*, «
si OROBBA (mendum Librario- «
rum, ait D. Guarinus, pro ARUBBA) «
fumarium .... Si quis autem contentio- «
sus & nolens recipere Hebraïcam verita- «
tem (quæ, ut legunt Massorethæ, ha- «
bet *fumarium*) *locustæ sensum quæsiverit* «
&c. »

Hactenus D. Guarinus, ut probet Græcam Versionem, ubicumque ab Hebræo Textu è Massoretharum regulis lecto & intellecto diffidet, adulteratam esse. Sed hoc argumentum refellere non erit magni laboris.

1°. Non desunt inter Theologos majorumque Gentium Criticos, qui putent Hieronymum & Hebræis quales tum extabant Codicibus, & Judaïcæ

quæ tum vigebat in ſupplendis vocalibus Traditioni paulò nimiùm tribuere. Neque planè abſurdum videtur S. Doctorem, cùm pro ſuis erga ſacras Litteras omnemque adeò rem Chriſtianam immortalibus meritis incidiſſet in hominum rixandi cupidorum inſanias, qui novam Tranſlationem acerbiſſimè inſectarentur & ſolam τῶν O adorarent, obtrectatorum convitiis exaſperatum de Verſione illâ ſenſiſſe duriùs atque cenſuiſſe. Quo factum eſt, ut dum illi Codicem Hebræum Judaïcamque Traditionem infamatum eunt, ipſe, ἀνθολκῆς, quòd fieri ſolet, ἀμετρίᾳ quicquid & ab Hebraïcis quales extabant libris, & Judaïcâ lectione recederet corruptum arbitraretur. Scilicet non ſatis attenderat Judæos non ſemper eodem modo quoad ſcriptas litteras ſupplendaſque vocales legiſſe, nec minùs in Hebraïcis quàm in Græcis Codicibus errari potuiſſe Scribarum imperitiâ, temeritate, ſomnolentiâ. Quas ſi cauſas perpendiſſet, quibus ferè explicatur id omne quod LXX. inter Judaïcoſque libros intereſt diſcriminis, mediam iniſſet viam, & modò Hebræum Codicem Græco, modò Græcum Hebræo prætuliſſet, prout vidiſſet alium alio ſenſum meliorem fundere.

2°. Nobis omni ratione ſubductâ ſic videtur: ab Hieronymo veritatem Hebraïcam appellari volumen Hebraïcum, quale tunc extabat, non tam intellectum è Judaïcâ lectione, quando quidem eam interdum deſerit, quàm eo modo lectum qui ſaniorem, veriorem, antecedentibus & conſequentibus magis cohærentem ſententiam gigneret. Nobis etiam Hebraïca veritas eſt, qui ex Hebræo, quem nunc habemus Codice, ſenſus exurgit optimus, niſi ſicubi conſtet mendum in Codicem irrepſiſſe, vel exemplar quo Veteres utebantur illo in loco fuiſſe melius atque emendatius. Nos etiam cum Hieronymo *contentioſos* & ab Hebraïcâ veritate judicamus alienos, ſi qui apud Oſeam *fumario locuſtam* anteponunt; non quia Judæi malunt *fumarium*, ſed quòd planus eſt & expeditus *fumarii* ſenſus, *locuſta* nullum aut contortum parit.

Tamen, inquies, L X X. *locuſtam* verterant. Quid tum? An verò nos L X X. erroris omnis expertes fuiſſe contendimus? Me profectò minimè fugit eos & hallucinari potuiſſe, & quandoque hallucinatos. An idcirco nihil adverſùs lectionem Maſſorethicam valet eorum auctoritas? Eâ obruentur Maſſo-

retharum Patroni, donec ostenderint vel Massorethas ἀναμαρτήτους fuisse, vel LXXviros ubicumque dissident à Massorethis singulatim è regulis Critices erroris convicerint. At neutrum præstare possunt. Non Massorethas fuisse ἀναμαρτήτους. Nam ut alias rationes sileam, multa protulit L. Cappellus, plura proferre potuit punctationis & distinctionis Massorethicâ multò melioris exempla. Non etiam LXX. toties errasse, quoties à Massorethis dissentiunt.

1°. Enim loci sunt numero infiniti, quos aliter Massorethæ legunt, aliter LXX. utrique tamen bono sensu, ita ut vix deprehendere queas, utra lectio potior habenda sit. Quâ demum ratione illic Massorethistæ τοὺς O peragent ullius peccati reos? Quòd si quis id tribuat LXXvirûm antiquitati, ut illorum lectionem anteponat, quid erit, quæso, quod possint reprehendere?

2°. LXXviralis lectio interdum multis partibus melior est, ut probavit Cappellus, cujus exemplis addi possent sanè quamplurima.

3°. Dum adversùm nos Eruditus Benedictinus Hieronymianâ pugnat auctoritate, est profectò cur ejus æquitatem desideremus; qui certè nunquam

effugisset, quin à S. Doctore *contentiosus* & Hebraïcæ veritatis inimicus haberetur. Scilicet Hieronymus Judæorum sui temporis lectionem non nunquam deserere aut fas esse credidit, aut nefas esse duxit. Si primum; an non, Hieronymo Judice, D. Guarinus contendit & litigat, dum lectionem Judaïcam ubique retinendam esse decernit, quæ S. Doctori non est semper Hebraïca veritas? Si alterum; quo pacto censuram Hieronymi effugiet D. Guarinus, qui præ Judæis, quos tulit ætas Hieronymi, ab iis non raro diversos Massorethas sequitur desertor Hebraïcæ veritatis.

Jam verò quid est contentiosius, quam velle Judæos quarti sæculi atque ipsum adeò Hieronymum Hebraïcas voces, etiam quòd ad accidentia, Massorethico ritu pronunciasse? Eruditus Censor sicubi refert ex Hieronymo vocem Hebraïcam Latinis exaratam litteris, hanc velut corruptam à Librariis ad canonas Massorethicos refingit contra librorum omnium fidem, hanc Massorethicè legendam edicit Dictatoriâ potestate. Hoccine ferret Hieronymus, hoccine doctissimus D. Guarini sodalis Martianæus, cujus in venis Hieronymi sanguis ebulliebat? Sed nos de his postea.

Venio nunc ad alios Interpretes, Aquilam & cæteros, quorum auctoritatem ut defugiat, ait D. Guarinus *potuiße eorum Magistros, qui fortè inter suos peritissimi non erant, genuinam vocum quarumdam lectionem ignorare; potuisse & ipsos Interpretes, licet veram lectionem edoctos, eam tamen vel memoriæ lapsu, vel quod in eâ Linguâ satis exercitati non essent, interpretando negligere.* Sic suspiciones serit, sic conjecturis passim indulget. At nusquam valet hæc illatio: hoc fieri potuit, ergo factum est. Nam omnes norunt in explicandis difficultatibus nunquam conjecturis esse locum, nisi demonstrato priùs facto quod in quæstione versabatur. Porrò Massorethas ubique meliùs legisse quàm alios Translatores tum probabitur *cùm Mula pepererit*. Mihi verò abs re meâ tantùm otii non est; ut libeat cum ejusmodi larvis atque umbris seriò colluctari.

Quod ait *à ratione & æquitate eße alienum è privatorum hominum lectione carpere Massorethicam*. Respondeo Aquilæ Translationem privatum opus vix dici posse, cùm Judæis valde accepta fuerit, & ab Hellenistis in locum LXXviralis substituta. Chaldaïcæ Onkelosi & Jonathanis Paraphrases, quæ apud Ju-

daeos paris cum Scripturâ ſunt auctoritatis, & à Deo traditæ Moſi, ab Auctoribus quorum nomen præferunt mandatæ litteris fuiſſe creduntur, cum Maſſorethis non ſemper conſentiunt. Adeo verum eſt legendi modum variaſſe pro ſæculis. Quod autem Karaïtæ Traditionum ferè omnium oſores Maſſorethas ſequuntur, hoc tantùm probat eam legendi rationem, quam Maſſorethæ ſanxerunt, jam tum in uſu fuiſſe apud Judæos omnes, cùm ab iis Karaïtæ ſeceſſerunt.

Specioſius eſt quod addit D. Guarinus, priſcos Interpretes, maximè LXX. diverſis etiam characteribus legiſſe; unde ſequeretur repudiari etiam debere Textûs hodierni litteras. Sed huic difficultati facilè occurritur. Nam 1°. ſaltem conſtabit eos characteres retinendos eſſe, qui à priſcis Interpretibus & à Maſſorethis unanimi conſenſu lecti ſunt. Quo ſemel admiſſo ſumma Scripturæ in tuto, neque nulla eſt, quod objicit D. Guarinus, novæ Grammatices utilitas. 2°. Nobis perplacet Cappelli ſententia: exemplar quo quidem uſi ſunt Maſſorethæ haud paulò melius eſſe quàm quo LXX. Nec illi tamen exemplari magis fidimus, propterea quòd uſi ſunt eo Maſſorethæ;

verùm quia planior esse ejus lectio vulgò deprehenditur: unde si quando litteræ, quibus L XX. vel alii legerunt Interpretes, sensum fundant convenientiorem, illas præferre Critici nihil dubitant.

Quod spectat Hieronymi Versionem; Sixti Senensis, quem hîc D. Guarinus laudat, judicio satis contenti sumus. Is censet *D. Hieronymi Translationem in præcipuis locis Scripturæ, quibus fundamenta fidei Christianæ ac veritas dogmatum comprobantur, & de quibus præsertim inter nos & Judæos controversia est, semper ferè cum hâc punctuariâ Hebræorum expositione consentire; tametsi in rebus levissimi momenti, & quæ pluribus sensibus absque ullo veritatis præjudicio exponi possunt, sæpè dissentiat.* Si Hieronymus in locis, de quibus inter nos & Judæos controversia est, cum Massorethis SEMPER FERE consentit, ergo dissentit aliquando. Ergo de rei summâ Sixto Senensi cum Masclefio convenit. Quod olim dixerat eruditus Canonicus punctationem Massorethicam Christianæ veritati sæpissimè adversari, duriùs pronunciatum hâc Editione mitigavit. Cùm autem addit Sixtus Senensis Hieronymum à Massorethis sæpè dissentire in rebus levissimi mo-

menti, & quæ pluribus ſenſibus abſque ullo veritatis præjudicio exponi poſſunt; nonne hoc ipſum eſt quod volumus? Scilicet vocat illas res leviſſimi momenti, quia præcipuis Scripturæ locis, quibus fundamenta fidei comprobantur, eas opponit. Dicit eas ſine veritatis præjudicio exponi poſſe. Cujus veritatis? Noſtrorum Dogmatum. Et certè quoties Hieronymus & Maſſorethæ diffident, toties oportet vel hunc vel illos à Scriptoris θεοπνεύστου ſententiâ aut ſcriptione diſcedere, ac proinde veritati ſaltem grammaticæ adverſari.

Sed quis aſſentiatur D. Guarino, dum nobis Hieronymum offert à Maſſorethicâ punctatione, hoc eſt, ipſorummet Prophetarum lectione de induſtriâ recedentem, *quia didicit à Magiſtris ſeptuaginta Legis eſſe facies?* Tam multa in hanc exceptionem dici poſſunt, ut quæ quibus anteferam incertus, malim alterum illud effugium præcludere: Hieronymum aliquid largiri voluiſſe LXX. Interpretibus, obtrectatorum metu. Quâ ſuper re velim aliquis mihi reſpondeat, an Hieronymus LXXvirûm lectionem, cùm eam præ Judaïcâ ſequebatur, meliorem crederet, an æqualem, an minùs bonam. Dici

non poteſt à Maſſoretharum patronis; Hieronymo viſam eſſe meliorem, etſi hoc probatu perfacile eſt; tum enim Hieronymum à nobis eſſe faterentur. Non viſam eſſe æqualem; nam è D. Guarini principiis prævalere debet Maſſoretharum auctoritas. Reſtat igitur, ut Hieronymus pejorem lectionem ſciens & volens prætulerit. Benè eſt. Eum Cenſor nil tale cogitans modò exhibuit ut fanaticum, qui pro grammaticâ Veritate deperit neſcio quas *Legis facies*, quas *didicit eſſe Septuaginta*: nunc facit perfidum Interpretem ſervientem tempori & cognitis probatiſque melioribus deteriora ſequentem, amoliendæ invidiæ.

Jam cùm dixit D. Guarinus Hieronymi Verſionem partem eſſe mixtam cum vetere Italâ, aliud profectò agebat. Nec enim quæſtio eſt de Vulgatâ Bibliorum noſtrorum Editione, ſed de Tranſlatione Hieronymi qualis legitur in *divinâ* ejus *Bibliothecâ*, quam Martianæus è libris Manuſcriptis erutam edidit, optimo publico.

D. Guarinus iterùm Amanuenſes & ſciolos ſuſpectos habet, qui Tranſlationem Hieronymi depravare potuerunt; quaſi verò vagæ id genus ſuſpiciones iis in locis valere poſſent, in

quibus sensus quem offert Versio nascitur ex Hebræis characteribus, aut in quibus ex Hieronymi Commentariis sic eum vertisse dignoscitur. Miror quid venerit in mentem homini cæterùm alienissimo à Docti cujusdam opinationibus. Hic quidquid cum Vulgatâ, Herodoto & Plinio suo non consentiebat satis, spurium & à *Nebulonibus* confictum arbitrabatur; ille Massorethas proponens unicam Veritatis Hebraïcæ regulam, si quid ab illis divergit, malè translatum, correctum temerè, corruptum pronunciat.

Nos verò sic statuimus: ideo Hieronymum à Massorethis dissentire 1°. Quia exemplari aliquantulùm diverso utebatur. 2°. Quia Judæorum sui temporis interpretationem ferè secutus est, qui non raro aliter quàm Massorethæ punctabant, distinguebant, interpungebant. 3°. Quòd lectionem Judaïcam etiam ubi Massorethicæ similis erat aliquando repudiandam esse judicavit. Exempli causâ Isaiæ 2. versu ultimo, *Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia Excelsus reputatus est ipse:* Hieronymi tempore Judæi, sicut nunc, pro *Excelso* vertebant *in quo. In quo enim*, hoc est, *quantilli* enim *æstimandus est?* Hæc est significatio vocis במה, ut

punctatur à Massorethis. Judaïcâ lectione valere jussâ, aliter pronuncians Hieronymus vertit *Excelsus* sive *Excelsum*, & locum ad Christum refert. Benè an malè perinde est. Ex eo enim sequitur S. Doctorem non hæsisse mordicus Judæorum placitis, multò minùs in Massoretharum verba, si viveret, hodie juraturum. Videsis ejus Commentarium in caput 2. Isaiæ.

Denique D. Guarinus ad calcem articuli cautè subinnuit iis quæ Massorethas inter & Hieronymum intercedunt discrepantiis sensum non immutari. At verò mutari sæpiusculè multis probaremus exemplis, nisi res procul dubio esset & brevitati consuleremus. Atque hîc Censor sibi splendidè contradicit. Mirum enim, si *Legis* illæ *facies septuaginta*, quarum quæ maximè arrisisset præ Judaïcâ, id est, juxta D. Guarinum, Massorethicâ interpretatione amplexabatur Hieronymus, sibi sint adeo persimiles, ut sensus idem ex omnibus oriatur, cùm illas *facies* vocet ipse Guarinus *plurimos* interpretandi modos. *Cæterum*, inquit Censor, *si his aliisque discrepantiis sensum immutari contingat, ut asserit D. Masclefius, ei potiùs Linguæ credendum, unde est in aliam per Interpretes facta Transla-*

tio. Præclarè quidem ex Auguſtino Eruditus Benedictinus; ſed, quod erat negotii caput, ipſum non expedivit: vocales diſtinctioneſque Maſſorethicas eſſe Hebraïcæ Linguæ portionem. Nos contrarium evicimus.

XXXIII.

Solvitur ſexta novarum objectionum Maſclefium abuti auctoritatibus & exemplis, ut probet ferè obliteratam fuiſſe Linguæ Hebraïcæ cognitionem, antequam Maſſorethæ aut eorum Præceptores eam inſtaurare aggrederentur.

QUÆ protulit Maſclefius teſtimonia Rabbinorum alia aliud probant. Quædam oſtendunt Linguam ſanctam in universâ captivitate oblivioni datam, nihilque ex eâ relictum præter 24. Scripturæ libros, & paucas dictiones quæ reperiuntur in Miſchnæ ſermonibus. Ex illis reliquiis Judam Chiug, ducem inſtauratorum Linguæ, qui ſcribebat circa annum Chriſti 1030. & alios Doctores ſermonem Hebraïcum utcumque reſtituere conatos, dediſſeque operam ut eum Poſteri non invenuſtè eloquerentur. Quædam demonſtrant in iis etiam libris qui ſoli ſupererant multa fuiſſe, quæ

vel etiam ignorarentur à Judæis, vel diu ignorata essent, priusquam ab aliis Linguis emendicaretur aut forte fortunâ à Mercatore, ab Ancillulâ compararetur eorum qualiscumque cognitio.

Jam si duplex illud testimoniorum genus conjunxeris, sequitur fatentibus ipsis Judæis tantùm non obliteratam fuisse sermonis Hebraïci notitiam. Illa enim Lingua propemodum exolevit, cujus id omne quod superest modico volumine continetur; si præsertim etiam in tantillo volumine multa sint Doctissimis quibusque vel incomperta vel parum explorata. Atqui Rabbinorum celeberrimi confitentur iis quos Masclesius post Morinum laudavit textibus, utrumque de Linguâ Hebraïcâ verum fuisse etiam post Massorethas, qui Linguæ Hebraïcæ instauratores primi meritò dici possunt; Rabbini etiam Caput & ducem instauratorum vocant Judam Chiug qui vixit absolutâ Massorâ, eò quòd Grammaticen primus scripserit; ergo multò magis id verum fuit antequam Massorethæ manum operi admovissent. Ergo Masclesius accusatur injuriâ, quòd abusus sit Judæorum auctoritatibus.

Quid ad hæc religiosus Censor? Sic

agit cum Masclefio pp. 36. & seqq. quasi dixisset Rabbinos fateri penè obliteratam fuisse apud Populares suos sacri Textûs intelligentiam. Sed aliud est penè obliteratam esse Linguam Hebraïcam, aliud pauxillum illud quod ejus Linguæ naufragium effugit penè ignoratum fuisse. Primum ostendit Masclefius. De altero ne cogitavit quidem. Unum est, quod Censorem fefellit. Ubi de Linguâ mortuâ sermo fit, id quod illâ Linguâ, dum viveret, scriptum remansit, Linguæ ejus nomine ferè appellamus. Sic Latinæ Linguæ doctus dicitur, quisquis Latinos, qui modò supersunt, Scriptores intelligit, quamquam iis sanè monumentis non omnia vocabula, non omnes locutiones reperiantur quæ apud Latinos in usu erant. Sic & nos interdum & Masclefius Hebraïci quod extat voluminis intelligentiam sermonis Hebræi cognitionem nominavimus. Alio sensu Lingua sumitur pro universâ verborum Phraseônque complexione, quibus uti solebant homines ejus Linguæ. Hoc sensu Linguam Hebraïcam ferè obliteratam fuisse dixit Masclefius. Et meritò. Quota enim vocum locutionumque Hebraïcarum portio retenta est 24. Scripturæ libris?

At verò nunquam credidit ferè deperditam fuiſſe apud Judæos Hebraïci Textûs intelligentiam. Ea ſemper in illâ Gente, quòd ad rerum ſummam, ſingulari Dei providentiâ perſeveravit. Sed ſi tam multa vel in illo unico volumine à Judæorum doctiſſimis etiam poſt Maſſoretharum punctationem ignorabantur, multò magis penè obliterata erat Lingua Hebraïca, antequam Maſſorethæ vel eorum Præceptores inſtaurare eam aggrederentur, hoc eſt, ejus Linguæ reſiduum illuſtrare, pleraque punctis diſtinctionibuſque ſuis definire.

Quòd ſi Judæi Linguam ſanctam ſibi è manibus elabi paſſi erant, ſi in illius Linguæ reliquiis multarum vocum ſignificationem amiſerant, quantò magis conſequens eſt, ut veram ejus ſermonis pronunciationem amiſerint? Nam hoc argumento non utitur Maſclefius niſi ut probet veram pronunciationem apud Judæos intercidiſſe.

Elevat ſummo faſtidio D. Guarinus argumentum quod è Rabbinorum confeſſione duxerat Maſclefius, qui fatentur voces, quæ ſemel bisve aut raro in ſacris occurrunt Litteris, Majoribus ſuis nimirum Thalmudiſtis ignotas fuiſſe; item ſe neſcire quid ſignificent vocabula

tabula quibus designantur pleraque animalia, lapides pretiosi, plantæ, mensuræ, ornamenta muliebria & alia id genus bene multa. Arguit Masclefium velut *à particulari ad universale* colligentem; *nec satis mirari potest eruditum Canonicum. in hoc turpissimum argumentationis vitium incidisse.* At non feliciter hoc exemplum arripuit, quo suam præ Masclefianâ dialecticen extolleret. Incidit enim ipse in argumentationis vitium, quæ *ignoratio Elenchi* dicitur. Nec enim sic colligit Masclefius: Judæi multas Scripturæ voces ignorabant, ergo totam penè Scripturam nesciebant. Sed sic: nullus alius supererat liber Hebraïcè scriptus præter sacrum volumen; in illo volumine multa ignorabantur, ergo tantùm non obliterata apud illos erat Hebraïci sermonis notitia.

Cæterùm illa ipsa multarum Scripturæ vocum ignoratio argumento est sacras litteras non tanto semper tamque constanti studio cultas à Judæis fuisse, quàm sibi fingit D. Guarinus. Quî enim tot verborum exolevisset cognitio, nisi saltem per aliquod tempus Judæorum circa Scripturam refrixisset industria? Mirum sanè ipsos Thalmudistas ignorare nomina propria animalium quibus abstinere jubentur

Levitici 11. imò & quorumdam quibus vesci licet. Ex quo facilè conjicias Judæos aliarum vocum multò magis oblitos. Vim ejus illationis sentient ii, qui Nationem illam, quàm semper fuerit in delectu ciborum anxiè superstitiosa, tantisper cogitabunt.

His omnibus ritè perpensis valde frigescunt hæ D.Guarini Tragœdiæ (pagg. 37. & 38.) » Si verum est penè obliteratam fuisse Linguæ Hebraïcæ cognitionem, nos eam adhuc ignorare. » Nullam esse Vulgatæ Versionis αὐθεντίαν cùm Hieronymi Præceptores » majoribus auxiliis non fuerint adjuti quàm Massorethæ. Denique nullam » auctoritatem quod ad ipsas etiam litteras vocabulorumque unius ab alio » separationem. quandoquidem homines Hebraïcè imperiti multa potuerint in exscribendo peccare, multas » voces perperam dividere. » Hæc incommoda D. Guarinus fusissimè persequitur, suâ eloquentiâ; quæ nos brevitatis causâ contraximus. Sed nihil horum objici potest. Nam

1°. Etiamsi hæc omnia sequerentur ex eorum opinione, qui crederent amissam fuisse omnino sacri Textûs intelligentiam, priusquam Massorethæ vel eorum Præceptores eam restituere

aggrederentur, tamen extra chorum ſaltare pergit eruditus Benedictinus. Nuſpiam enim negat Maſclefius viguiſſe ſemper apud Judæos magis minúſve perfectam Codicis Hebraïci peritiam. Quidquid divinus ille Codex verborum phraſeônque complectitur, in duas partes dividi poteſt. Harum alterius cognitio à quibuſdam Judæorum retenta & ad Chriſtianos tranſmiſſa eſt, ut patet mirificâ omnium cujuſlibet ætatis Tranſlationum ipſorumque etiam Maſſoretharum conſenſione. In alterâ verò parte, quæ difficilia, rariùs occurrentia, varié lecta, varié reddita comprehendit, ornandâ & expoliendâ tam feliciter à noſtris præſertim adlaboratum eſt, ut Chriſtiani Maſſorethis ſimus in eo genere multò peritiores. Quibus enim auxiliis deſtituti fuerunt, iis abundamus. Præſtò ſunt Lexica é collatis Scripturæ locis concinnata, præſtò Concordantiæ, præſtò Gloſſaria Linguarum Hebraïcæ affinium locupletiſſima. Plenæ ſunt Bibliothecæ ſummorum Virorum Tractationibus, qui Maſſorethas & exquiſitâ omne genus eruditione & acumine critico facilè ſuperarunt.

Ac certè ſi quem ex illis majorum Gentium Ἑβραΐζων, Samuelem Bochar-

tum ex. C. vel L. Cappellum in alteram lancem imponamus, in alteram verò Babylonicas Academias totamque Tiberiadem, tantùm illam Bocharti vel Cappelli lancem propendere videbimus, ut terras ac maria deprimat. Quòd autem eo tempore quo Vulgata concinnata est, altera Scripturæ portio, quæ spectat ad Criticen, multò minùs illustrata fuerit quàm nunc est, non ideo actum est de ejus Translationis αὐθεντίᾳ. Ut enim authentica sit Versio, nihil illam carere mendis omnibus necesse est, modò constet Ecclesiæ auctoritate summam rerum quæ sacro Textu continentur in eâ reperiri, nullis admistis qui fidei morumve doctrinæ repugnent erroribus.

2°. Non credidit Masclefius, tantam extitisse Massoretharum imperitiam, ut dum sacros Codices exscriberent, dum voces dividerent (si tamen ab iis hæc divisio) credibile sit eos in locis perspicuis certâque Traditione constantibus fuisse passim hallucinatos. Tum rectè ut plurimum exscripserunt, rectè voces separarunt. Attamen in confesso est eos sæpissimè aliter scripsisse, aliter divisisse quàm vel LXX. vel cæteros Interpretes. Quod ubi contigit; ex orationis serie juxta

Critices regulas dispiciendum, quæ Scriptura, quæ divisio potior habenda sit. Neque verò hoc est Textum ad Versiones exigere, quod exprobrat Censor; sed Massorethicum exemplar conferre cum aliis quibus usi sunt Translatores; sed divisiones vocabulorum quas induxerunt Massorethæ, quæque non magis ad Textum pertinent quàm puncta & reliquæ distinctiones, comparare cum divisionibus quas Interpretes secuti sunt, atque in hâc varietate illud demum amplecti quod Scriptoris consilio accommodatius esse deprehenderis.

3°. Hoc etiam annotasse non pœnitebit: etiamsi, quod nunquam dixit Masclefius, intercidisset apud Judæos sacri Textûs intelligentia, potuisset tamen restitui Versionum auxilio, ut quidem patet exemplo Clenardi & Erpenii, qui teste Cappello quibusdam interpretationibus adjuti, sine Lexicis, sine Grammaticâ Linguam Arabicam didicêre. Atque his quidem satis ostensum est Masclefium non abuti Judæorum auctoritatibus, quo probet penè obliteratam fuisse Hebraïci sermonis apud Judæos notitiam, priusquam Massorethæ vel eorum Præceptores eam instaurare aggrederentur: nunc exem-

pla itidem Judaïca quæ protulit etiam vindicanda sunt.

Scripserat Masclesius Philonem & Josephum aut nescivisse aut parum admodum scivisse Hebraïcè. Judæorum par nobile defendit eruditus Benedictinus pagg. 40. & 41. Quâ in re litem movet omnibus ferè Doctis, qui quidem & Philoni & Josepho vel omnem, vel, quod verius reor, penitiorem Hebraïci Textûs cognitionem magno consensu abjudicant.

Duo tantùm hic appellabo, illustrissimum Huetium, doctissimumque Martianæum. *Quî verò non offendisset Origenes*, inquit Abrincensis Episcopus Origenian. l. 2. c. 1. n. 11. *Philonem sequens ducem, qui Judæus licet Judæis prognatus, ne mediocri quidem Hebraïcarum litterarum aurâ, ut neque Hellenistæ ferè reliqui fuerat afflatus? Id si minùs in hominibus Alexandriæ natis & eductis novum est, quorum naturæ repugnare scribit Hieronymus Hebraïcam Linguam addiscere, pro more Græcorum omnium, qui Linguarum exoticarum studium aspernari consueverunt; at in Josepho illo Hebræo Mathathiæ filio planè mirum videri debet. Facilè quippe ex ejus scriptis deprehendere licet ad magnam illam Judaïcarum Originum cognitionem non parem ipsum patriæ loque-*

la peritiam contulisse, quamvis se nonnulla Hebraïcè scripsisse dicat, quæ lapsu temporum interciderunt.

Editor Hieronymi postquam laudavit Huetii verba, sic ea comprobat calculo suo, novæ editionis tomo 1°. p. 179. *Quid ad hæc*, inquit, *reponunt Josephi assertores indocti, qui vix quamdam aurulam Hebraïcarum litterarum capientes de intimis sacræ Legis sensibus judicium ferre non verentur, & huic adscribere Scriptori peritiam Hebræi sermonis, quam nec ipsi à longè salutarunt... Nos autem cordatorum hominum ac eruditorum sententiis adhærentes nec Philonem, nec Josephum, nec Origenem, ubicumque veritatis ratio postulaverit, reprehendere pertimescimus.*

A sodali suo longè diversus abit eruditus Censor. Negat probari posse *nonnullis Etymologiis*, Philonem & Josephum Hebraïcè non admodum doctos. Magnâ quippe licentiâ usos *Etymologistas veteres*. » Hoc argumento, si va- « leret, probari etiam posse S. Hierony- « mum nihil aut parum admodum sci- « visse Hebraïcè, Varronem Linguam « Latinam ignorasse &c. » Sed alia nos « habemus argumenta quibus nostram tueamur sententiam. Hinc est quod R. Simonius à Guarino citatus in margi-

ne, vel eo ipso in loco ubi ductam ab ineptis Etymologiis rationem parvi facere videtur, Hebraïcæ Linguæ cognitionem, quam Josepho largitur, Philoni denegat. Quanquam id argumenti nequaquam pœnitendum est.

Scimus in immensum exire veterum Etymologistarum licentiam. Sed animadvertendum est in assignandis verborum originibus duplici modo peccari posse. Primo, si obviam quamque affinitatis umbram aucuperis, ut M. Varro & alii passim, qui cùm Latinas voces bene multas è Græciâ atque Oriente derivare debuissent, alias neglectis fontibus ex ipso Latio extundere conati sunt, alia è Græcis quidem, sed frigidè spretâque analogiâ quoquo modo expressère. Tamen cùm Varro Togatorum doctissimus *curam* deducit ex eo quòd *cor urat*, P. Nigidius *Vir impensè doctus* apud A. Gellium vocem *frater* ex *ferè* & *alter*: etsi nos harum similiumque Originationum pudet, neutrum in Originum significatione deceptum agnoscimus, neutrum Latinè minùs peritum fuisse suspicamur.

Verùm altero modo peccari potest; si nimirum Etyma perperam interpretére, si duas pluresve voces sic compingas in unam, ut ille nexus Linguæ

genio penitùs adversetur. Cujusmodi vitia in Philonis & Josephi Originationibus sæpè licet deprehendere. Philo exempli causâ (nam de Josepho seorsim videbimus) *Noë*, quæ vox *requiem* vel *cessationem* significat, interpretatur etiam δίκαιον *justum*. *Osee* הושע *salvum faciens* à Philone explicatur ποῖος οὗτος; *quis iste? Ac si Hebraïcè legeretur* אי זה, inquit J. Martianæus Editione Hieronymi t. 2. p. 105. *Eliphas*, quod nomen ab Hieronymo vertitur *Dei mei aurum*, Philoni est ὁ Θεός με διέσπειρε *Deus dispersit me*. *Hic agnoscimus*, inquit Editor Hieronymi ibid. p. 100. *Philonem disertissimum imperitum fuisse sermonis Hebræi. Neque verò idioma Gentis patitur analogiam quam ipse prosequitur in Etymologiâ vocis* Eliphas. *Nam affixum primæ personæ* i, *quod medium est in nomine, nullo modo separari potest ab* El, *ut præfigatur cum sequenti* Phas; *ac si* iphas *esset* me dispersit. *Hæc syntaxis Philonis quantùm sit inepta & impossibilis, perspicuum esse puto Lectori Linguæ Hebraïcæ mediocriter erudito.*

Hæc nos speciminis gratiâ, nec vim ejus argumenti declinabit Censor, quamvis prætexat Amanuensium inscitiam, quamvis testetur Hieronymus Præfat. in lib. nom. Hebr. novæ Edit.

t. 2. p. 1. se libri quem Philo scripserat *de nominibus Hebraïcis dissona inter se exemplaria & confusum ordinem reperisse*. Nam præterquam quòd duce Martianæo facilè dignosci potest in libro de *interpretatione nominum Hebraïcorum*, quem edidit Hieronymus, quid è Philonis, quid ex aliorum officinâ prodierit; nos iis tantùm nitimur, quæ apud Philonem extant, originationibus. Harum indicem collegit Editor Hieronymi t. 2. p. 5. & seqq. Eæ sunt id genus, ut, si à Librariis depravatæ fuissent, jam nec sua Scriptori ratio, nec suæ constarent allegoriæ. Quòd addit » Censor » liquere Philonem Hebraï- » carum litterarum tam rudem non fuis- » se, quòd L X X. Versionem ubique & » κατὰ πόδα non sequatur: nam verbi » gratiâ in lib. de Confusione Lingua- » rum verbum ויאמר *Judic.* 8. 9. inter- » pretatur ὤμοσε *juravit*, quod L X X. » vertunt εἶπε *dixit* &c. » ego vim hujus illationis non sentio: in Hebræo legitur *dixit*, L X X. verterunt εἶπε, Philo vertit *juravit*; ergo Philo non fuit rudis Hebraïcarum litterarum. Hæc forsitan locum haberent, si noster Hellenista relictis L X Xviris Textum Hebraïcum sequeretur, quanquam hîc casus valere potuisset. At L X X. quos

deserit cum Hebræo consentiunt. Probat igitur ad summum hic locus Philonem memoriæ plus æquo fisum, vel non ipsummet verbum sed sensum retulisse, non verò hausisse è fontibus. Fortasse etiam aliquod exemplar Græcum eam lectionem præferebat, quam secutus est.

» Sed quomodo, inquit, nominum « Hebræorum interpretationem aggre- « di ausus fuisset is Judæus, si nihil aut « parum admodum Hebraïcè scivisset? «

Respondeo felices fore artes, si qui eas callent in illis soli se se exerceant. At, malum! jam pridem obtinet illud Poëtæ,

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

Philo partim Græcâ Versione, partim litterulis Hebraïcis (suis an alienis?) adjutus, conjectando atque hariolando, qualemcumque procudit nominumHebraïcorum interpretationem. Ipsum verò non admodum Hebraïcè doctum fuisse non solum insulsis Originibus evincitur, sed etiam perpetuâ atque incredibili quam Textum inter & Græcam Translationem sibi finxit concordiâ. Is postquam denarravit prodigialiter ejus Translationis fabulam, ait *Chaldaïcis*, id est, Hebraïcis ad amussim Græca respondere. *Sive Chal-*

dæi, inquit lib. de vitâ Mosis, *Linguam Græcam, sive Chaldaïcam Græci didicerint, & in ambas Scripturas inciderint Chaldaïcam & eam in quam translata est, eas tanquam sorores, aut potiùs tanquam unicam & eamdem & in rebus & in nominibus mirantur & adorant, non Interpretes, sed Hierophantas & Prophetas vocantes eos, quibus contigit sinceris cogitationibus purissimum Mosis spiritum assequi.* Ἐάντε Χαλδαῖοι τὴν Ἑλληνικὴν γλῶτ]αν, ἐάντε Ἕλληνες τὴν Χαλδαίων ἀναδιδαχθῶσι; καὶ ἀμφοτέραις ταῖς γραφαῖς ἐντύχωσι τῇτε Χαλδαϊκῇ καὶ τῇ διερμηνευθείσῃ, καθάπερ ἀδελφὰς, μᾶλλον ἢ ὡς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἔντε τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασι τεθήπασι καὶ προσκυνοῦσιν, οὐχ Ἑρμηνεῖς ἐκείνους, ἀλλ' Ἱεροφάντας καὶ Προφήτας προσαγορεύοντες, οἷς ἐξεγένετο συνδραμεῖν λογίσμοις εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως καθαρωτάτῳ πνεύματι.

Scio Philonem loqui de solo Pentateucho, qui multò curatiùs quam cætera Scripturæ versus est. Scio valere jussis Massoretharum additamentis multò majorem iniri posse Græca inter & Hebræa concordiam; quanquam D. Guarino non placeret hæc dissidii tollendi ratio. Scio Græcæ Versionis Auctores exemplaribus usos satis à Massorethico diversis. Scio denique corruptam postea fuisse illam Translationem.

At nihil horum est quod absolvat Philonis de utriusque Textûs germanitate seu potiùs ταυτότητι Judicium. Nam illa ipsa Pentateuchi loca, quæ à Philone proferuntur, interdum ab Hebræis etiam non punctatis differunt, & libri Hebraïci, qui Philonis ævo Judæorum manibus terebantur, erant Massorethico quàm LXXvirali propiores, ut patet Onkelosi Jonathanisque Paraphrasibus. Parum ergo cognitus erat Philoni Textus Hebraïcus. Qui profectò censuisset aliter, si collatione fontem inter & rivum institutâ judicasset, nec temere credidisset ambitiosis de Græcâ Versione fabulis. Quæ figmenta etiam in Hebræi Textûs neglectum verterant. Cæterùm utut est de Philone, is Masclefianam Hypothesin juvat, Guarinianæ nocet. Si Linguam Hebraïcam nihil vel parum sciebat; ergo Judæi Nationis suæ Principes, cæterarum disciplinarum laude florentissimi parum in Hebraïcâ Linguâ versati fuere. Si fuit ejus Linguæ peritus; ergo & novatores, & indocti, & quidquid libuerit Massorethæ, quorum industria miram invexit inter Codices sacros & LXX. discordiam pro divinâ illâ atque adorandâ, quam Philo deprehenderat utrobique, concordiâ.

Ad Fl. verò Josephum quod attinet, hominem in terrâ Judæâ atque ipsis Hierosolymis natum, sacerdotio fungentem, suæ Gentis Originum Scriptorem, cui sermo vernaculus facilem ad Hebraïca munierat viam, ab eo sanè cognitio sacri sermonis major expectanda fuit. Magnæ tamen rationes efficiunt quominus Josephum in eo genere Philoni multùm præstitisse judicemus.

1°. Ejus Etymologiæ nihilo Philonianis meliores. pag. 137. Edit. Genev. גלגל *Galgal* interpretatur *ingenuum* vel *liberum*, cùm ea vox significet quidquid vertitur in circulum, ut *sphæra*, *rota* &c. p. 160. *Samsonem* ait significare *fortem* ἰσχυρὸν, quamvis hoc nomen nihil aliud sonet quàm *sol*. *Si Hebraïcè doctus fuisset Josephus*, inquit J. Clericus in Judic. c. 13. *nunquam ita locutus esset. Certissimum est enim eâ voce fortem non significari. Sed ex re ipsâ conjecit Josephus, quia fortissimus mortalium fuit Samson.* Aliis in locis voces Hebraïcas malè Josephus explicat, ut appareat illum non tam ejus Linguæ scientiâ niti quàm divinando suas interpretationes eventis accommodare.

2°. Scriptor ille totus pendet à Versione Græcâ, tum etiam cùm vitiosa

eſt, eamque ex Hebræo emendare nullius eſt laboris. Quod primum in memoriam venit exemplum, id offeram. 1. Samuelis 19. 13. Legitur Michol Davidis uxor, demiſſo per feneſtram marito, *Simulachrum in lecto ſuppoſuiße, villoſque caprinos addidiſſe*, qui ſcilicet Davidis cæſariem imitarentur, Saülisque ſatellitibus imponerent. כביר העזים שמה מראשתיו ad verb. *villum caprarum poſuit cervicalia ejus.* L X X. pro כביר legerunt כבד & verterunt: Καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθετο πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ. *Et jecur caprarum poſuit ad caput ejus.* Malè; nullus enim hîc jecinori locus. At Joſepho, qui, ſi poterat, ad Hebræum Codicem, tunc temporis non L X Xvirali ſed Maſſorethico ſimilem, debuit confugere, ſatis fuit hoc jecur lenire qualicumque condimento, ut à Lectoribus concoqui poſſet. *Poſtquam*, inquit Antiq. l. 6. c. 14. (Michol) *ſubjeciſſet ſtragulis jecur capræ, orto die cùm Pater ejus ad Davidem miſiſſet, laboraſſe eum per totam noctem dixit, præſentibus oſtenſo tecto lecto, & motu jecinoris commovente ſtragula*, τῷ πηδήματι τοῦ ἥπατος σαλεύοντι τὴν ἐπὶ τὸ ἐπιβόλαιον, *fide factâ id quod jacebat eſſe Davidem reſpirantem.* Quod quidem figmentum non eſt niſi hominis Hebraïcè indocti, qui Græci Interpretis er-

rorem alio commento tegit, ne scilicet perpluat. Huic exemplo si quis diffideret, & ipsum confirmari & alia multa proferri possent.

Verùm, ait eruditus Censor, Jose-
» phus testatur se » Historiam suam ex
» Hebraïcis litteris transtulisse, se tan-
» tùm Hebraïcorum voluminum in Græ-
» cam Linguam Interpretem, se Anti-
» quitatis libros è sacris voluminibus
» interpretatum. Vide jam, erudite Mas-
» clefi, utrùm Scriptor, qui ab Hebræis
» voluminibus quæ Græcè interpreta-
» tus est, Historiam suam mutuatum se
» profitetur, nihil aut parum admodum
» sciverit Hebraïcè. pag. 41.

Sed ubi contrarium res ipsa clamat, frustra Scriptorum de se testimonia proferuntur. Dicat Josephus quidquid volet, fixum immotumque manebit hunc usum esse passim Versione Græcâ, non Hebræis fontibus. Fortasse nimiâ quam de Græcâ Translatione conceperat opinione deceptus, eam sacro Textui per omnia similem existimavit. Non defuerunt inter nostrates, qui Psalmos ex Hebræo in Gallicum versos ederent, quamvis Linguam Hebraïcam ne primoribus quidem labris degustassent. Ii nimirùm sibi in animum induxerant, aliquam Versionem Latinam ad puncta

Massorethica confectam Textui Hebraïco sic respondere, ut eam Gallicè vertendo ipsissima Hebræa converterent. Falsò & ambitiosè quidem illi: sed numquid Josepho magis fidendum est? Certè si nos illi de se hoc in negotio fidem adhibemus, quin eum sacræ Scripturæ in suâ historiâ nec addidisse quidquam nec detraxisse credimus? Hoc enim ipse nihilo minùs asseverat, quàm se voluminaHebræa transtulisse. *Nemo*, inquit, Antiq. lib. 10. c. 11. *mihi vitio vertat, quod hæc singula scriptis meis inseram, sicut in antiquis libris reperio. Nam ipso Historiæ initio illis qui insuper aliquid requirerent aut expostularent occurri, dixique me duntaxat Hebræorum libros in Linguam Græcam translaturum, pollicitus quæ iis continentur ea me relaturum, nec rebus addentem quidquam de meo nec detrahentem.* Καὶ ταῦτα δηλώσειν μήτε προστιθεὶς τι τοῖς πράγμασιν αὐτὸς ἴδιον, μήτ' ἀφαιρεῖν ὑπεσχημένος.

Hâc in parte si Josephus promissis stetit, si nihil omisit, si nihil alienum Scripturæ intexuit, si nullis commentis divini Verbi majestatem imminuit; si nihil Græcorum & Romanorum auribus accommodavit, non moror quin illum credamus Hebræorum voluminum fuisse duntaxat Interpretem &

Linguæ Hebraïcæ peritissimum. Sed de Judæorum Historico plus satis. Nec omittendum, quod de Philone supra diximus, à Josepho causam Guarinianam opprimi. Si enim multùm sciebat Hebraïcè; cur ab illo tam immane discrepant Massorethæ? si parum vel nihil sciebat; certè fuit illud tempus quo sermonis Hebraïci pars sola superstes saltem à quibusdam Judæorum primariis Sacerdotibusque negligeretur. Quæ quidem exempla si Rabbinorum testimoniis quæ Masclefius attulit adjunxeris, constabit nihil esse verius hoc dicto: *penè obliteratam fuisse Linguæ sanctæ notitiam, priusquam Massorethæ vel eorum Præceptores eam instaurare aggrederentur.*

Satis hæc duo vindicavimus: Hebræa sine punctis Massoretharum expressis vel subintellectis legi & intelligi posse; nec genuinam vocum locutionumque Hebraïcarum notionem ad Massorethas certâ Traditione fuisse propagatam. Hæc quamdiu stabunt, tamdiu manebit inconcussa nova Methodus. Itaque cætera Guarinianæ Præfationis acervatim & quasi per saturam, nec ea quidem omnia, refellemus; quòd pleraque sunt ejusmodi, ut ad summam Hypotheseos Masclesianæ ni-

hil pertineat, uter in his Masclefiusne an Guarinus vicerit.

XXXIII.

Expenduntur varia D. Guarini argumenta, quibus ea convellere nititur quæ dixit Masclefius de Massorethicæ pronunciationis novitate.

ASSERIT D. Guarinus pronun- « ciationem antiquam & Masso- « rethicam eamdem esse, quod ad *sub- « stantiam* pertinet, minimè verò quod « spectat ad *accidentia*, nempe ubi ver- « bi gratiâ Massorethæ *a* legendum do- « cuerunt ibi antiquitùs lectum fuis- « se *a*. Utrum verò ea vocalis eâdem « omnino vocis inflexione & à vete- « ribus Judæis & à Massorethis pronun- « ciata fuerit, putà *a* clarum an ob- « scurum sive mixtum ex *a* & *o* in id « nequaquam inquirit .... Idem dicit « de reliquis vocalibus ac litteris con- « sonantibus maximè gutturalibus, quæ « alio atque alio spiritu efferri potuêre « sine ullo prolationis substantiæ dis- « pendio. pagg. 48. & 49. »

Hanc Thesin falsam esse necessariò sequitur ex illâ demonstratissimâ veritate, ad Massorethas non pervenisse plenam ac certam Hebraïci Textûs

cognitionem. Hâc enim deperditâ intercidere multò magis oportebat ipsam prolationis substantiam. Sed agam cum Censore nostrò quàm liberaliter, & illi concedam unum quod à vero longè alienum arbitror, scilicet eosdem sonos quos Massorethæ pinxerunt usurpatos fuisse à veteribus Hebræis, cùm has & illas voces acciperent eâ significatione quâ Punctatores hoc vel illo sacri Codicis loco accipiendas esse judicarunt. Ponamus ex. gr. veteres hanc vocem עור extulisse cum Massorethis *Our*, ubi significabat *expergisci*, *Or*, quando pro *pelle* sumebatur, *Ivver*, si *cæcum* designaret; aio nos hoc etiam concessò tamen ostendere posse veteris pronunciationis substantiam eamdem non esse ac Massorethicam.

1°. Enim omnia illa vocabula quorum significationem ignorant Judæi, vel ignoratam diu postea, quod putant, recuperavêre, quî potuerunt à Massorethis efferri, sicut veteres efferebant? Si vocis sonum Traditio conservasset, quantò magis notionem quæ huic sono subjiciebatur?

2°. Etiamsi novissent Massorethæ quo pacto voces ambiguæ pro variis significatibus olim pronunciatæ forent; tamen inter varios ejusdem vocis pro-

nunciandæ modos distinguere non poterant, quisnam hoc loco potior & ab antiquis usurpatus esset, nisi priùs genuinum & antiquum loci sensum assequerentur. An vero fuerint assecuti valdè dubium est quamplurimis in locis; in multis non assecutos esse constat. Quòd si vel in illâ Hypothesi certum est Massorethicæ pronunciationis substantiam ab antiquâ plurimùm discrepare, quàm certum id esse necesse est, si Massorethæ eadem vocabula pronunciarint aliter quàm Veteres etiam eâdem significatione. Atqui hoc certis constat indubitatisque monumentis.

Dixerat primâ editione Masclefius *Maßorethas omnino rudes fuisse nullâ bonarum disciplinarum, nullâ Antiquitatis cognitione adjutos.* Unde colligebat *eos antiquam pronunciationem rimari atque expiscari minimè potuisse: Textum Hebraïcum, prout ætate suâ pronunciabatur, pronunciasse; quomodo antiquitus pronunciaretur nec inquisiisse nec inquirere potuisse: ergo eorum pronunciationem non posse ab antiquâ non multùm discrepare.*

Tiberiensium suorum peritiam defendit eruditus Benedictinus eorum judicio *qui satis Hebraïcè docti sunt, ut singulare ac propè divinum punctationis eo-*

rum artificium introspicere possint atque intelligere. Nec omittit Cappellum, quem *alterum Masclesii Videntem* vocat (nam Morinus alter est) qui inventum istud diligentiæ & industriæ planè admirandæ ac stupendæ acceptum refert. Addit Massorethas *eâ* quidem *ratione pronunciaβe, quâ tunc temporis quo florebant, pronunciabatur*, sed veteris pronunciationis substantiam ad id usque temporis conservatam; alioquin Massorethicam pronunciationem à Karaïtis & à Judæis per universum orbem dispersis repudiandam fuisse. Hæc pagg. 49. & seqq.

Verùm Massorethas rudes quidem & antiqui moris ignaros dixerat Masclesius, nusquam tamen socordes & minùs industrios. Nos certè punctationem illorum velut opus singulare demirabimur modò liceat expeditiùs ἑβραΐζειν, neve cogamur artificium istud *prope divinum* superstitione prope Judaicâ propemodum adorare. Nos eorum *diligentiam* atque *industriam* stupebimus *Cappelli alterius nostri Videntis* fide, quo si quis *Vidente* non utitur, vereor ne cæcutiat in his litteris. Quanquam nec Cappello, nec Morino, neque ulli omnino mortalium, sed soli semperVero litabimus.Hîc Cappelli ju-

dicio subscribimus ; ita tamen ut cum illo arbitremur Massorethas , in multiplicandâ notularum etiam suo instituto inutilium farragine , fuisse *morosissimos* , *scrupulosissimos* , *fastidiosissimos* κυμινοπρίστας ; *simul tam incuriosos atque negligentes vel tam ignaros atque incogitantes*, *ut nulla excogitarint Parentheseôn, interrogationum sive exclamationum signa atque notulas proprias*. Omitto alia bene multa quæ Cappellus arguit.

Sed quantalibet fuerit Massorethaṛum industria , non in eo versabatur , ut Veterem pronunciationem quasi postliminii jure revocarent , sed ut eam quæ suâ vigebat ætate sancirent in posterum. Hoc fatetur ipse Guarinus. Jam verò procul dubio est pronunciationem , quæ Massoretharum ævo recepta erat , diversissimam ab illâ fuisse quæ LXXvirûm , quæ Philonis & Josephi , quæ Origenis & Hieronymi temporibus usurpabatur.

Igitur gnari Antiquitatis an ignari fuerint nihil refert. Si indocti ; Veteres sequi non potuêre : si docti ; noluêre. Certè non Veteres sed æquales suos secuti sunt. Cùm ergo hæc punctatio exhiberet & faciliorem redderet pronunciationem cui Judæi tum assueverant , quamque (ut sibi semper placent)

Mosis atque Davidis esse credebant; ab omnibus libenter excepta est. Karaïtarum secessio Massoretharum ætatem uno circiter sæculo antecedit. Quam ergo pronunciationem Massorethæ repræsentarunt, hanc ipsam Karaïtæ secedentes abstulerant secum, & errore communi veterem putabant. Itaque inimicorum labores apposuêre lucro, atque in pretio hactenus habent homines Rabbanistis æquiores & minùs superstitiosi.

Scripserat post Morinum Masclefius putasse Massorethas, omnes Alphabeti Hebraïci litteras consonantes esse. Contra ostendit Censor Tiberiensibus „ quidem illas litteras quæ *Matres lectionis* appellabantur habitas fuisse pro „ vocalibus; sed cùm non nisi usu certus esset veterum illarum vocalium sonus, cùm in multis vocibus desiderarentur, nonnullæ etiam modò vocalium, modò consonantium munere „ fungerentur; ea omnia incommoda „ excogitatis novis vocalibus sublata „ fuisse à Massorethis. pagg. 51. 52.

Tamen quandoquidem Grammatici Massorethistæ ipso Grammaticarum exordio edicere solent omnes litteras esse consonantes, hîc

Si fuit errandum, causas habet error honestas.

Equidem

Equidem D. Guarino assentior, quem Virum libentiùs audio cùm vera dicit quàm falsa dicentem refello. Assentiretur etiam, si viveret, amantissimus veri Masclesius. Cur enim id argumenti hâc Editione omissum esset, nisi quòd ei diffidebat? Cæterùm hîc non errasse Massorethas Guarinianæ causæ quid prodest? *Matres lectionis* pro vocalibus habuerint. An iis distinctivos quibus olim efferebantur sonos attribuêre? An antiquas supplevêre vocales? An ubicumque ו & י vocales vel consonantes statuerunt majorum suorum institêre vestigiis. Nihil horum Tribulibus suis planiorem aperuerunt viam, quâ Textum Hebraïcum legerent, sicut eâ tempestate legebatur. At hoc commodum gravissimis incommodis rependerunt, dum lectionem nullâ constanti Traditione nixam sacrosanctam reddidère, & Hebraïcum Codicem nullâ satis idoneâ auctoritate præditi circumscripsêre: nisi si magis in culpâ sunt Christiani, qui eorum definitiones velut ipsum Dei Verbum exosculantur, & alios pro viribus 8. vel 9. sæculi Rabbinis mancipant. Serviat quisquis volet tam illiberalem servitutem. Certè nos auctores aliis erimus recuperandæ libertatis.

A paginâ 53. ad 59. omnem movet lapidem, ut probet has litteras בגד כפת & ש duplici modo jam olim efferri solitas, uti Massorethæ proferendas esse docent.

Non vacat agitatam inter L. Cappellum & Buxtorfium Buxtorfii filium quæstionem redintegrare, nec singulatim Buxtorfiana refellere, quæ jam pridem à Cappello confutata nihilominus reponit eruditus Censor. Nos pauca tantùm observabimus.

1°. Nihil moveremur exemplis vel è Thalmude vel è Medraschim deductis, etiamsi certa forent: tum quia Thalmud & Medraschim Massorethas antiquitate non multùm superant, tum quia non credimus Massorethicam pronunciationem unâ nocte fungi instar exortam esse. Crevit illa paulatim & per multas ætates in eum statum adolevit quem Tiberienses suis apicibus velut impactis clavis defixêre. Quapropter in vetustioribus eâ punctatione monumentis quædam ejus initia observari debent. Sed quamvis Thalmudistarum, imò Hieronymi & LXXvirûm pronunciatio foret eadem ac Massorethica, nondum probari posset illam florente Linguâ Hebraïcâ viguisse. Quot enim sæculis à Captivitate

Babylonicâ distant Hieronymus & Thalmudistæ! Quâ vero tempestate scripserunt οἱ Ο, Hebræus sermo desierat esse vernaculus. At simul atque ostendimus LXX. & Hieronymum & alios aliter pronunciasse quàm Massorethas, sequitur varias vices expertam fuisse Linguæ hujus pronunciationem, nec antiquam & primigeniam esse posse quam Tiberienses expresserunt.

2°. Ex eo quod LXX. has voces פרדס , פרס , פסח verterint παράδεισον, Πέρσας, πάσχα, pessimè colligitur litteram פ aliquando pronunciatam esse ab illis Interpp. ut Π Græcorum vel P Latinorum. Ex illis vocibus duæ priores jam dudum in Græciam translatæ fuerant aspiratione detractâ. Igitur eas à Græcis Interpp. aspirari minimè decuit. Vocis autem פסח, cùm in Paralipomenis vertatur φασέχ, duplex fuit pronunciatio, alia Hebraïca, alia Græca. Paralipomenôn Interpres Hebraïcam pronunciationem retinuit, aliorum librorum InterpretesGræcam secuti sunt.

3°. Non sibi contradicit Hieronymus, dum alibi scribit *apud Hebræos litteram P non haberi, nec ullum esse nomen quod hoc elementum resonet*; alibi de voce *Apadno notandum esse quòd P lit-*

teram sermo Hebraïcus non habeat .... *in isto tantùm loco apud Hebræos scribi quidem P H E*, *sed* legi P E. Nam ut hæc concilientur, satis est quòd verbum אפדנה non sit Hebraïcum sed ex aliâ Linguâ desumtum, vel saltem quòd ita visum fuerit Judæis Hieronymi tempore.

Cùm autem D. Guarinus hîc ait; *vero simile est S. Hieronymum litteræ hujus prolationem malè doctum fuisse à Præceptoribus suis*; nec Judæorum honori nec S. Doctoris famæ satis consulit. Si enim nocturnus ille *Bar-Anina* alter *Nicodemus*, si Rabbinus Tiberiensis, *qui apud Hebræos admirationi habebatur*, *si Lyddæus qui apud eos primus haberi putabatur*, si inquam Judæi illi, cùm essent Magistri in Israële hæc ignorarent, nimirum quæ potestas Alphabeti litteris sua ætate tribueretur, quàm indoctos esse oportuit. Quam indoctus Hieronymus, his Magistris! Quàm impura Judaïca Traditio, quæ per id genus canales tandem ad Massorethas defluxit! At si fieri non potuit ut Judæorum per hæc tempora doctissimi nescirent, quomodo tunc efferrentur Alphabeti litteræ, illarum prolatio mutata fuit ab Hieronymo ad Massorethas.

Quod ſpectat ad geminam τῦ ש pronunciationem, licet ævo Hieronymi cognita fuiſſet, nihil in novam Methodum redundaret incommodi. Saltem enim duplex, ſi jam tum extitit prolatio, uſurpabatur contra Maſſoretharum Canonas. Ait verbi gratiâ Hieronymus in caput 12. Eccleſiaſtæ, verbum שקד *ſi varietur accentus & nucem ſignificare &* vigilias. Ponamus hanc diverſitatem accentûs eſſe duplicem τῦ ש pronunciationem; certè eam diſtinctionem hîc non adhibent Maſſorethæ apud quos littera ש eodem modo effertur in שקד ſive *nucem* ſignificet, ſive *vigilias*. Huic exemplo nihil aliud reſponderi poterat, quàm quod reſpondet eruditus Benedictinus: *vel Hieronymum in hoc loco ac verbo malè à Præceptoribus edoctum eſſe ſuis, vel quod vero ſimilius eſt; ſuam eum fefelliſſe memoriam.* Sed gratis dictum quid opus refellere?

Quin etiam Cenſor, dum in Maſclefium fertur, ſe ipſe hoſtili infigit gladio, & probat Hieronymi pronunciationem à Maſſorethicâ differre. Allegat Hieronymi locum, qui legitur *Quæſtionibus in Geneſim* ad caput 26. Ibi dicit S. Doctor Iſaacum puteo, quem ſervi ejus foderant, ſive potiùs jam à

patre ejus Abrahamo effossum, sed à Palæstinis oppletum repurgaverant, indidisse nomen *saturitatem* שבעה. *Licet enim supra*, inquit, *ex verbo juramenti, sive ex septenario ovium numero, quod* Sabee *dicitur, asseruimus Bersabee appellatam, tamen ex eo quòd aqua inventa est, Isaac ad nomen civitatis, quæ ita vocabatur, alludens declinavit paululum litteram, & pro stridulo Hebræorum* Sin, *à quo* Sabee *incipit*, *Græcum* Sigma, *id est, Hebræorum* Samech *posuit*.

Ex his verbis putat D. Guarinus certò colligi leniorem τȣ ש pronunciationem, quæ exprimitur à Massorethis per punctum in cornu sinistro, notam Hieronymo fuisse. Quâ de re viderint Eruditi: nam ego nec omnia Masclefii præstare velim, & mihi brevitas imperatur. Hoc certum, vocem שבעה illo loco pronunciatam ab Hieronymo contra quàm faciunt Massorethæ, idque Masclefianæ causæ sufficit. Hîc Massorethæ ש asperant in שבעה & pungunt in cornu sinistro, ita ut ex eorum præceptis non *abundantiam* significet, sed *septem*.

Quod sibi vulneris intulit Censor huic mederi conatur, at præposterè & frigidè. Dicit enim S. Doctorem *hanc vocem sic non legisse, nisi ut inde*

allegoriam eliceret; quod satis declarant hæc quæ subjicit verba: Alioquin & juxta allegoriæ legem post tantos puteos in fine virtutum nequaquam congruit ut Isaac aquam minimè repererit. Sed quis putet Hieronymum à receptâ Judæorum lectione, quæ juxta D. Guarinum vera ac certa erat, deditâ opera discessisse, ut nescio quam allegoriam non dico sectaretur, sed in Textum intruderet? Hoc jam non obliviosi esset, verùm corruptoris. An etiam & Aquila & Symmachus, quos hîc auctores habet, allegoriam sectati sunt? Profectò locus Hieronymi non Allegoristæ est, sed Critici. Nam hæc verba, *Alioquin* &c. quibus quæstio clauditur, tam diluta sunt, ut appareat illa hominis esse, qui non doleat cum suâ interpretatione stare posse piam quamdam allegoriam, non ejus qui allegoriæ causâ litteram deseruerit.

Postquam D. Guarinus prope divinæ Massoretharum punctationi Hieronymianam eruditionem, memoriam, in vertendo fidem velut egregias quasdam hostias, immolavit, quis miretur, quod illorum Numini triobolares & quotidianæ cadant victimæ Librarii & Amanuenses? Librariorum imperitiæ tribuit quidquid in Hexaplorum frag-

mentis, in Hieronymo aliisque legitur Hebraïcum Græcis Latinisve litteris; quod à punctatione Massorethicâ dissideat. Quam demonstrationem illinc duxerat Masclefius, eam declinare nititur hoc solito effugio.

Pagg. 59. & 60. Rem nulli obscuram enixè & prolixè probat, Amanuenses in exscribendis maximè peregrinis vocibus multoties erravisse. Sed quo jure id assumit peccasseLibrarios ubicumque vox Hebraïcâ non scribitur è Massorетharum regulis? Nonne nos potiori jure quæ apparent in quibusdam vocibus Tiberiensis prolationis vestigia bonam partem imputaremus Amanuensium erratis vel etiam audaciæ? Quoniam enim sensim sine sensu Lingua Hebraïca deflectebat ad pronunciationem quam Massorethæ consecrarunt, & Judaïca pronunciatio Christianis genuina videbatur; simile vero est voces Hebraïcas Græcè vel Latinè scriptas à Librariis & Dictatoribus, si qui Hebraïcè paululum nossent, ad novam pronunciationem recusas. Quid non auderent in eo genere Semidocti, cùm & Erasmus ille & Marianus Victorius contra Codicum omnium fidem Hieronymianæ pronunciationi Massorethicam supposuerint in ipso Hiero-

nymi contextu? Quo fit ut S. Doctor interdum pugnantia loqui videatur, multùm indignante Martianæo, qui vetera & Hieronymiana passim restituit è libris manuscriptis.

Cæterùm nullumne assignari potest *criterion*, quo dignoscere queas, an scriptura vocum illarum ab ipso sit Auctore, an à Librariis? Assignari verò potest; nec unum sed multiplex.

Primum, ubi omnes etiam diversorum Auctorum Codices manuscripti constanter easdem litteras Hebraïcas iisdem Græcis Latinisve characteribus exprimunt. Sic verbi gratiâ ת Hebraïcum semper scribitur per θ, & per TH, כ per χ & per CH. *Quòd si bis terve contrarium occurrat, id potest Librariorum oscitantiæ adscribi*, inquit Vir doctissimus D. B. de Montfaucon prævià Disquisitione in Lexica ad Hexapla Origenis p. 396.

Secundum, ubi quis Scriptor litteram tali modo pronunciandam esse definiit, certum est non peccasse Librarios, cùm illo modo scripserunt. Sic ubicumque apud Hieronymum littera פ redditur per PHE, scriptura recta est; cùm neget PE ab Hebræis usurpari præterquam in אפדנו.

Tertium, cùm Exscriptores in cer-

tis quibusdam casibus easdem vocales perpetuò supplent, servatâ eâdem analogiâ. Sic exempli causâ in Affixis secundæ personæ masculini generis, ubi legunt Massorethæ ך per *cha*, supposito *Camets*, prisci Interpretes legunt *a* ante ך *ach*. אלהיך Massor. *Elohecha*, Veteres Ἐλωάχ. בך M. *Becha*, V. βάχ. Præcedente vero vocali ε per ε terminant. ילדתך M. *Jaldutheca*, V. ἰλεδεθέχ. Litteram ו initialem, cui Massorethæ supponunt *Scheva*, efferunt per ου neglecto *Scheva*. ויבא M. *Veiabo*, V. ουιαβώ. Etiam post ו conversivum non agnoscunt illud *Patach*, quod à Massorethis inductum est. ויקרא, וידבר M. *Vaïcra*, *Vajedabber*. V. ουικρὰ, ουιδαβήρ. Qui plura volet, adeat supra laudatam Disquisitionem ex quâ hæc decerpsimus.

Sed quorsum his immoramur? Fac omnes Hebraïcas dictiones, quæ Massorethismum non sapiunt, in mendo cubare; quis neget Veteres aliter pronunciasse quàm Massorethas, cùm à diversis præsertim vocalibus, quas alii alias supplevêre, natæ sint tot variæ interpretationes. Unde sequitur Veteres, etiamsi, quod falsum est, voces Massorethicè protulissent, cùm iis sensum eundem tribuerent ac Massorethæ, nihilominus diversissimâ pronunciatione

multis in locis usos, quandoquidem tam multos diverso modo intellexerunt.

Extant in Vetere Testamento multa nominum propriorum millia, sive Virorum & Mulierum, sive Oppidorum, Regionum, Mensium &c. Illa paucissimis exceptis, iisque communioribus, LXX. legerunt aliis vocalibus quàm Massorethæ. Contendit D. Guarinus hoc ideo factum esse, quòd LXX. voces illas duriores non solùm Græcâ terminatione, sed mutatis etiam prioribus & intermediis syllabis emollire conati sint.

At 1°. tam pauca Græco more flexerunt in ultimâ syllabâ, præ iis quæ barbarico ritu inflexa reliquêre, ut Græcorum auriculis non multùm serviisse videantur.

2°. Quorsum necesse fuit ut priores syllabas mutarent, etiam cùm nihilo forent insuaviores iis quas expresserunt? Quid enim *Simson*, ut legunt Massorethæ, horridius habet quàm *Samson*, *Midian* quàm *Madian*, *Jered* quàm *Jared*, *Chenaan* quàm *Chanaan* &c?

3°. Aliquid auribus gratificarentur in quibusdam vocabulis LXXviri; at in iis ne cuncta perverterent. Lenienda fuerit vox *Nebuchadnetsar*; cur eam re-

finxerunt in *Nabuchodonosor*? Quid enim est in hâc ultimâ quod delectet ampliùs, quàm verbi gratiâ *Nebuchadenesar* &c?

4°. Alii veteres Interpretes non raró nomina propria eodem vel ferè eodem modo efferunt ac LXXviri; sæpè Massorethas non sequuntur, etiam cùm LXXviros deserunt. Quod quidem observatu dignum est præsertim in Aquilâ, qui Codicem Hebræum morosiùs interpretatur, & à LXXviris, quantùm potest, recedit. Unde colligimus & LXX. & alios (excepto Hieronymo, qui vulgò LXX. sequitur in nominibus propriis, licet interdum & ab illis & à Massorethis discrepet) suæ ætatis pronunciatione usos, & in universum mobiliorem fuisse Hebraïci sermonis pronunciationem, quàm ut ad Massorethas incorrupta pervenerit.

A pag. 62. ad 65. D. Guarinus impugnat duas Masclefii subsidiarias rationes. Primam, pronunciationem puncti *Camets* à Massoretharum ætate mutatam. Alteram, Judæos diversarum Regionum dissidere circa Linguæ Hebraïcæ pronunciationem. De priori utrumlibet credere malim quàm inquirere; res enim est nullius momenti. De pos-

teriore; etsi fortè minùs appositis primâ Editione usus erat exemplis, Masclefius his vindiciis sic confirmavit, nihil ut addendum esse videatur.

XXXIV.

Breviter refelluntur alia quædam D. Guarini argumenta.

PAGG. 69. & 70. Objicit Religiosus Censor, si puncta Massorethica non exhibent verum Scripturæ sensum, inde sequi Vulgatâ nostrâ verum non exhiberi Scripturæ sensum, sed commenta & glossemata Judæorum quos Doctores habuit Hieronymus, ac proinde Massoretharum. Nam eodem semper modo lectum à Judæis, & Vulgatæ interpretationi cum Massorethicâ lectione prorsùs convenit. Si Massorethica puncta eo nomine rejiciuntur, quòd Scripturæ sensum restringant, rejiciendæ quoque Versiones etiam Vulgatæ.

His facilè respondemus. 1°. Falsum est Judæos eodem semper modo legisse: falsum Hieronymianæ Versioni cum Massorethis prorsùs convenire: falsum ubique S. Doctorem è Præceptorum suorum sententiâ, qui & ipsi à Massorethis diffidebant, interpretatum esse.

2°. Si Vulgatæ & Massorethis tam bene convenit, vix assequor cui bono D. Guarinus Grammaticen Massorethicam tam operosè scripserit.

3°. Nihil necesse est, ut Versiones etiam authenticæ singulis in locis ipsissimum Scriptoris sacri sensum exhibeant. Satis est quòd illum referant utplurimum, & sicubi non referunt, nihil à fide vel moribus alienum substituant; nisi velit D. Guarinus LXX viralem Versionem, quam corruptissimam arbitratur, non esse authenticam. Non aliâ tamen usa est vetus omnis Ecclesia, non aliâ utitur hactenus Ecclesia Græca, neque nos etiam aliud Psalterium decantamus quàm LXXvirale. Sed quemadmodum qui Vulgatam legit, legit quidem interpretationem ab Ecclesiâ comprobatam, fidei moribusque per omnia consentaneam, summâ veneratione dignam; non haurit tamen ex ipsis fontibus: ita qui punctatum Codicem legit Hebraïcum, non ipsummet ἀρχέτυπον legit, sed Judaïcam interpretationem atque commentarium.

4°. Ex eo quòd Massorethica puncta repudiemus, quia Textum coarctant, non sequitur rejiciendas esse Versiones omnes ipsamque Vulgatam. He-

bræa intelligere non omnibus datum. Hinc natæ Translationes, quorum utilitas maxima. Cùm autem nulla Lingua ſatis alteri reſpondeat; nulla poteſt eſſe ſcripti paulò longioris abſoluta numeris omnibus interpretatio, hoc eſt, quâ lectâ prorsùs eadem cogitet lector, eodem prorsùs afficiatur modo, ac ſi peritus ſermonis, ex quo Verſio facta eſt, Archetypum legiſſet. Unde Etruſcum proverbium, *Ogni Traduttore è Traditore.*

Quod quidem cùm in omnibus Linguis tum in Hebraïcâ maximè locum habet non ſolùm propter idiomata multùm ab aliis abhorentia, ſed in primis propter ambiguitatem, quâ cæteras Linguas facilè vincit. Itaque nemo ſic Hebraïcà vertere poteſt, quin latiſſimè ſcripta, velit nolit, arctiùs definiat. Sed licet non ex omni parte perfecta ſit interpretatio, tamen & Hebraïcè neſcientes ſummam Religionis edocet, & Hebraïco Textui nihil officit. Extat ille ſemper Verſionum arbiter & Judex; ab iis quorum intereſt conſulendus. At verò puncta dum in Textum intruduntur; dum à Patronis ſuis tanquam eſſentialis Textûs portio, imò Textûs anima prædicantur, Textum coarctant, ac penè legentibus eripiunt.

Contendit D. Guarinus p. 72. Judæum Metensem, quîcum Masclefius de Jacobi Vaticinio disputavit, ad incitas facilè redigi potuisse, si calluisset eruditus Canonicus Massorethicam prosodiam.

Quid argumento, quod D. Guarinus elicit è notis musicis & accentibus, reponere potuisset ille Judæus, equidem nescire me fateor, qui sacrosancta hæc Initia nec adeptus sum, nec ambio. Contemtum hunc vulpinum appellent punctorum defensores, quantùm volent. Nec enim me fugit multas res esse, quæ possint etiam minùs perspectæ contemni. Frivolum esse oportet quidquid accentibus & notis musicis Judæorum nititur; neque aliud ad summum esse potest, nisi unum ex illis argumentis, quæ per se nihil probant, & vocantur *ad hominem*. Ea forsan argumenta minimè negligi debent ab iis quibus est animus cum Judæis congredi. Fieri enim potest, ut, intus agente gratiâ, incredulus aliquis rationibus non bonis convictus bene credebat. Sed eorum argumentorum neque tam certa neque tam præsens utilitas est, ut propterea Massorethарum quisquilias devorare cogamur. Saltem constare debet, illa omnia ne hilum quidem ad Hebraïcæ Linguæ peritiam conducere.

Deinde mirum mihi videretur, nisi vel ille Judæus, vel certè Rabbinus aliquis recoctus ac vafer in tam densâ punctorum, accentuûm, notarum silvâ inveniret telum quodpiam, quo suam interpretationem defenderet. Præterea num vero simile est, hominem qui veterum Versionum, qui Paraphraseôn auctoritate nihil movebatur accentibus expugnari potuisse. Vel tricaretur potius in ipsis accentibus, vel hâc statione captâ in aliam confugeret. Mentiar nisi homo duræ cervicis seriùs ociùs D. Guarinum adigeret ad id quod vocat intempestivam concionem, verba Apostoli : *Velamen positum est super cor eorum.*

2 Petit eruditus Benedictinus pag. 73. quid facturus fuisset Masclefius, si Judæus illæ novæ Grammaticæ principiis abutens vaticinium sic interpretatus esset, mutatis trium duntaxat vocabulorum punctis. *Non castigabit baculus virum de Judâ, maximè Doctorem intelligere facientem pedes suos*, hoc est, in viis Domini sapienter ambulantem, *testis quando venerit Schilo* sive Messias.

Ego vicissim D. Guarinum, si viveret, interrogarem, ecquid responsi daret Judæo, qui vocis שילה obscuritate abutens contenderet eâ designari Ti-

tum, qui Judæorum Rempublicam evertit. Qui sic interpretaretur, is in hunc fermè modum dissereret. Nullum in Scripturâ verbum magis solitarium, magis ignotæ significationis, quàm שילה. Hinc varias singulorum interpretationes, ut intelligas omnes divinare. Non alium meliorem esse vaticiniorum interpretem quàm eventum. Atqui veniente Tito *Sceptrum à Judâ & Legislator è mediis ejus pedibus abscessit*, hoc est, Reipublicæ jus ac forma, suis legibus vivendi libertas, quam Judaïca Tribus modò integram modò accisam etiam aliò translata hactenus retinuerat, eversis à Tito Hierosolymis penitùs interiêre. Quis ergo potiùs quàm ille per vocem שילה notari putandus est? Ea vox àquibusdam, inter quos Vulgatus, explicatur *mittendus* sive *missus*. Apposité ad Titum Cæsarem, quem Deus iræ suæ ministrum in Tribum Judaïcam immisit, qui ad perdendos Judæos divino quodam instinctu etiam invitus ferebatur, qui Urbem viribus humanis inexpugnabilem non sine manifesto Numine, quod ipse fatebatur, expugnavit. Hæc interpretatio ut longè falsissima est, sic nihil habet absurdi, nec ejus falsitas ex antecedentibus aut consequentibus argui potest. Nam

ſi objicias Jacobum Tribui Judaïcæ non adverſa ſed proſpera vaticinari; reſpondebit Judæus raræ cujuſdam felicitatis eſſe per tot ſæcula *ſceptrum* conſervare. Quæ ſequuntur in Hebræo, *& ipſi conventus*, vel *aggregatio*, vel *obedientia populorum* ad Judam referuntur non ad שילה juxta multos Interpretes, & ad Titum referri poſſunt, qui factus Imperator tot populos dicto audientes habuit ſuoque devinxit imperio.

Quid feciſſet D. Guarinus, ſi quis Judæorum hanc interpretationem illi oppoſuiſſet? Nihil in ipſo Textu præſidii: nullum perfugium apud *accentum illum Regem Zaqeph qaton, cujus Rex alter Jethiv non eſt niſi honorarius*; nulla ſpes in notis muſicis. Maſſorethicæ lectionis ne unus quidem apex immutatus eſt. Itane tamen Judæus Chriſtianum viciſſet? Minimè verò. Sed quibus armis D. Guarinus hanc interpretationem debellaſſet, iis alteram interpretationem debellamus, quam propoſuit ut nobis invidiam crearet. Advocaſſet ſanè Vir doctiſſimus veterum Thargumim & Verſionum auctoritatem. His ſuccenturiatum veniſſet Thalmudiſtarum plurimorumque Rabbinorum agmen, qui licet Vaticinium pro

viribus detorqueant, magno consensu per שילה Messiam intellexêre non eversorem Gentis, sed liberatorem ac vindicem. Ostendisset, Judæos qui post Christum vixêre, hîc maximè audiendos. Cùm enim ille vocis sensus Christianos juvet, non eum retinerent nisi venerandâ Traditione consecratum. Eodem modo novam alteram interpretationem falsi revincimus, cujus apud omnes omnino priscos Interpretes nec vola nec vestigium, cùm ea, quam Christiani sequimur, sit & trium Paraphrastarum & LXX. & ommium quot quot sunt veterum Translatorum.

Scripturæ nunquam ea fuit ubique perspicuitas, ut, in se spectata ad multos sensus eosque non absurdos interdum trahi non posset. Hinc apud Judæos oportuit esse Traditionem partim Scripturæ ipsi coævam, partim eâ antiquiorem, ex quâ, non ex privato judicio, Libros sacros interpretari fas esset. Itaque ubi de priscâ & πατροπαραδότῳ loci cujuspiam explicatione constat, præsertim si locus ille sit id genus, ut arrectas Judæorum mentes habere debuerit (quale Jacobi vaticinium, quo Gentis fata continentur) stultum aliam comminisci interpretationem.

Jam verò Traditionem primævam

nondum à Judæis partim ſacrarum litterarum neglectu, partim noſtri odio depravatam, ſed ipſis etiam eventibus & novâ revelatione illuſtratam excepit Eccleſia. Hâc revincit Judæos & Hæreticos Scripturam privato judicio interpretantes, & quemlibet ſenſum non incommodum è præjudicatis opinionibus temere arripientes. Hâc obruit incredulos, dum monſtrat admirabilem nec ſuſpectam Eccleſiæ Chriſtianæ cum vetere Judaïcâ concordiam. Eſſet igitur hominum plus æquo meticuloſorum, nec planè noſcentium quæ fidei ſit analyſis, eo nomine novam Methodum repudiare, quòd rejectis Maſſoretharum diſtinctionibus quædam Scripturæ loca variis ſenſibus explicari queant, qui ſi admitterentur, perirent nonnullæ noſtrorum dogmatum probationes.

1°. Enim non pauca Scripturæ loca ſenſibus alienis explicari poſſunt etiam ſervatâ punctatione Maſſorethicâ. Eſt ergo communis iſthæc difficultas, nec adversùm nos urgeri debet.

2°. Ut quædam loca trahi aliò poſſint, ſic non omnia: nec ex uno alterove Textu, ſed ex omni Scripturarum mole judicandum.

3°. Non licet Scripturam, ut librum

qui hodie primùm è cælo delapsus esset, ex animi sententiâ interpretari. Hoc qui facere conabitur, næ is latissimam cunctis erroribus fenestram aperiet.

Nuspiam igitur fas esto contrariam Veterum consensui interpretationem adsciscere. Iis verò locis, quibus unanimis Ecclesiæ pugnavit auctoritas, nefas esto non contrarium modò, sed etiã alium, qui priorem excludat, affingere. Interpretationem à D. Guarino objectam rejicimus ex Traditione, sicut plurimorum N. T. locorum explicationes, quas vulgari interpunctione mutatâ Novatores ac præsertim Sociniani, nec ridiculas semper, nec contextui, nec regulis Criticorum repugnantes, invexêre. Abjectâ Traditione, Protestantes dum communia nobiscum dogmata solius Critices subsidiis adversùm Socinianos tuentur, dubio marte pugnant, etiam ubi vincunt, victis similes. Nos etsi Critices auxilia minimè spernimus, Protestantes & Socinianos Traditione potissimùm debellamus. Non esset ergo repudianda nova Grammatice, quamvis ea cogeret in sacram Traditionis arcem confugere sæpius quàm Massorethica.

P. 74. ad 77. de Morino & Cappel-

lo Censor quantùm potest, detrahit, ut Masclefii *Criticam, Theologiam*, imò & *Orthodoxiam* per eorum latus appetat. Sed utrumque sua fama defendit, cui nec Guariniana censurâ quicquam decrescit, nec nostris laudibus accresceret. Morinus quidem, dum Samaritanum exemplar & L X Xviros ad cœlum extollit, de Codice Massorethico duriùs opinatur. At Virum summum neque in hoc probamus, neque in aliis, quæ peccavit studio partium.

Quod spectat Capelli principia, certum est *Criticam sacram*, quibus illa continentur, ut prudentibus rerum æstimatoribus ab initio placuisse, sic acerbissima quorumdam è Catholicis Theologorum judicia expertam. Impatientia sunt novitatis etiam bonæ nonnullorum ingenia, qui, si quid senes doceantur, injuriæ loco habent, & aguntur in furias. Miratur Judex incorrupta Posteritas, quòd Theologi Catholici cum Protestantibus quasi ex compacto infamatum ierint demonstratissima principia, ex quibus nihil aliud sequitur, nisi admittendam esse supremam auctoritatem eamque ἀναμάρτητον Scripturarum Interpretem. Simonii judicium nil moror. Nam præterquam quòd eruditus ille Vir ex eorum nu-

mero est, qui *ut sapere videantur, cælum ipsum vituperant*; ejus animadversio non tam Cappelli principia quàm ipsum Cappellum ferit, qui, cùm reformatam Religionem profiteretur, labefactare visus est ejus fundamentum, id est, Scripturarum omni seclusâ Traditione certitudinem atque αὐθεντίαν.

Cæterùm tam clara est Cappelli principiorum veritas, in primis illius: *Punctatione Massorethicâ nos minimè alligari*, ut cordatissimus quisque Protestantium hæc admittat, contentus illorum consectaria quantum potest amoliri. Nec ea virum Catholicum offendere debuerunt maximè Simonium, quo nemo meliùs noverat Fidem Catholicam in Traditionem ultimò resolvi. *Il y a toûjours eu dans l'Eglise comme un abregé de la Religion indépendament de l'Ecriture, sur lequel abregé de Religion on regle les difficultez qui se rencontrent dans la Bible, & c'est ce qu'on appelle Tradition, laquelle Tradition est dans l'Eglise avant qu'il y eût aucune Ecriture, & ne laisseroit pas de s'y conserver, quand bien même il n'y auroit aucun livre de l'Ecriture.* Ita Simonius Hist. Crit. lib. 3. c. 16.

Præfationis quæ supersunt iis non immoramur; sic eadem centies repetit Vir doctissimus. Quod ait, ferè se dubitare

dubitare an Cappellus novæ Grammatices rationem proposuerit *ut Grammaticis crucem figeret*, non placebit iis qui Cappelli gravitatem noverint. Quod negat Masclefianam Methodum Cappelli proposito respondere, falsum ostenditur ex eo quòd Cappellus nihil aliud quæreret, quàm ut voces enunciari possent. Dum contendit ex hâc Methodo Linguam Hebraïcam disci non posse, quòd vivimus haud ita pauci qui sic didicimus, sat refellitur. Dum suæ Methodi prolixitatem excusat, non multos persuadebit. Dum inductam à Masclesio confusionem exaggerat, confutata necquicquam reponit. Dum Sodales suos amantissimos oratione tragicâ exhortatur, ut ne omni doctrinæ vento circumferri se sinant, hoc est, ne putent Hebraïca sine punctis Massorethicis legi & intelligi posse; dum iis subjicit Augustini gravissima contra Pelagianos verba, quibus novæ Methodi defensores obruant, nihil hîc præter optimi Viri zelum admiramur.

Speramus egregios, quibus Illustre Sodalitium abundat, Viros nunquam persuasisse sibi hâc in quæstione summam agi rem Christianam, & viciniora salùti de nobis credere. Si qui verò doctissimi Præceptoris auctoritate

attoniti nos inauditos damnaverint; quæ est eorum æquitas, confidimus illos nostris rationibus non nihil permotum iri, ac novam fortasse Methodum amplexuros.

XXXV.

Solvitur argumentum Editori propositum à Viro Clarissimo Alexio Desessarts. Operis conclusio.

NUPER venit ad me Vir doctissimus, cujus hæc minima laus est, quòd Linguam Hebraïcam aliasque multas apprime noverit; alioquin Methodi Massorethicæ defensor strenuus. Ego percontabar, ecquid ipsi videretur de Guarinianis principiis: *Hebraïca sine punctis nec legi nec intelligi posse; pronunciationem Massoretharum ipsissimam Mosis & Davidis esse, saltem quod ad substantiam.* Neutrum sibi probari, utrumque falsum & nimium esse respondit. At miror, inquiebat, neque Masclefio neque D. Guarino venisse in mentem de alio argumento, quod ut obvium est ac simplex, ita novam Methodum evertit. Est autem hujusmodi. Illa Hebraïcæ Linguæ Methodus, quam si sequare, careas oportet Versione sacri Textûs omnium longe optimâ re-

pudiari debet, cùm nullius penè sit laboris ac temporis Methodum antiquam ediscere, quantùm satis est, ut possis uti præstantissimâ Versione; atqui nova Methodus carere cogit punctatione, hoc est, Versione Massorethicâ, quæ, licet habeat suos nævos atque interdum deserenda sit, aliis omnibus præstat: neque longum aut difficile est tantùm in veteri Methodo proficere, ut simul Hebraïcam Linguam, simul illam Versionem intelligas; ergo nova Methodus repudianda est.

Hoc argumentum delibavit Masclefius. Sed quoniam id unum cum aliquâ veritatis specie contra novam Methodum objici potest, facturus operæ pretium mihi videor, eâ de re si paulò curatiùs differam. Hujus syllogismi assumptio tria complectitur: nec longum nec difficile esse Methodum Massorethicam addiscere: Massoretharum Versionem omnium esse optimam: ejus auxilio privari, qui sequuntur novam Methodum.

Quod spectat ad primum, quædam annotanda sunt.

1°. Etiamsi facilis esset punctaria Methodus, saltem Masclefiana multò facilior est, ut probavit Masclefius. Objiciebat V. Cl. illam facilitatem, quæ

primâ fronte blanditur Tyronibus, iis ſanè magno conſtare cùm Hebraïca explicare incipiunt; tum enim velut in altum delatos hâc illâc ferri ſine Gubernatore per voces ambiguas, ad quam ſignificationem appellant inſcios. At verò bonus eſt in illo mari Gubernator ſenſus communis; quem qui non habet auctor illi ſum, ut ab hâc navigatione abſtineat. Etiam in punctariâ Methodo multa ſunt incerta. Neque Tyrones à libris difficilioribus auſpicantur. Poſtquam in Hiſtoricis Linguæ genium introſpexêre, tum ad alios pergunt; nec in iis multùm difficultatis experiuntur, quod novæ ſit Methodo peculiare. Non omittendum eſt Maſſoretharum Diſcipulos inter explicationis initia, cùm punctarias nominum verborumque modificationes nondum animo penitùs infixerint, ibi nonnunquam hærere ambiguos, ubi nulla foret difficultas, ſi miſſis punctis ſenſum ex antecedentibus & conſequentibus quærerent. Denique etiamſi Maſſoretharum Diſcipuli paulò minùs explicationis initio laborarent; quod verum non puto; id inter Methodi veteris incommoda vel maximè numerandum, quòd in ipſo limine plurimas ſimul difficultates offundat, q-

diumque faciat Linguæ Hebraïcæ. Novâ Methodo nihil expeditius. Quæ difficultates occurrunt, aliæ post alias faciliùs vincuntur, nec sine quodam voluptatis sensu, cùm tuopte ingenio tuæque perspicaciæ debere te sentias; quòd verum sensum assequare.

2°. Non est audiendus Vir doctissimus, dum antiquæ Methodi facilitatem exaggerat. Quâ enim valet memoriâ, multa illi facilia videri possunt, quæ cæteros obruerent. Hâc in causâ nolo eum esse judicem, qui, priusquam Hebræa explicare inciperet, Buxtorfii Lexicon, ut audio, memoriter edidicerat, idque tam in numerato habebat quàm ungues suos. Ego certè alios novi etiam non infelici memoriâ præditos, qui bonâ fide confessi sunt nihil veteri Methodo horridius, nihil fastidiosius; atque, ut nemo fateretur, mihi tamen aliquantulùm experto crederem.

3°. Fac eam Methodum esse facillimam; saltem, id plerisque si persuadere cupias, surdis canes. Nec aliud in causâ magis est, cur tam pauci Theologorum Linguæ tam utilis, ne dicam necessariæ, cognitionem consequantur. Illa ipsa minutissimorum apiculorum seges, quibus horret Codex Hebraï-

cus exterret oculos & desperationem injicit, seu difficultate, seu opinione difficultatis. Alii ne conantur quidem; alios in ipsis conatibus vires animusque deficiunt. Quo fit ut Lingua per se se omnium facillima atque brevissima maximè ignoretur. Ponamus tantisper illos nimiùm delicatos esse & laboris impatientiores. At multorum infirmitatis habenda ratio. Quapropter Masclefio gratulandum, quòd hoc terriculamentum sustulerit, aliamque patefecerit viam, quæ multis compendiosior esse videretur.

4°. Plurimi sunt oculis obtusioribus vel infirmis qui Methodum antiquam vel omnino sequi vel sine periculo non possunt, quorum tamen intersit Hebræa nosse. Quæ, malum, invidia est eos carere velle amplissimis ejus Linguæ suavissimisque fructibus?

Patet ex dictis veterem Grammaticam, si non *absolutè*, ut loquuntur Scholastici, saltem *relativè* difficillimam, non nullis etiam prorsùs inviam esse & inaccessam, à quibus adiri nova commodè possit.

Jam verò, ut ad alteram propositionem transeamus: an Versio Massorethica sit omnium optima necne nihil interest; cùm eâ carere possimus sine

gravi incommodo, quantalibet sit ejus bonitas.

1°. Ut illa singulis antistet de quo non absurdè disputari queat, tamen omnibus simul præstare pernegamus. Aliæ saltem collectim sumptæ vices ejus supplent, ipsa non supplet cæteras.

2°. Versionis Massorethicæ bonitas ex eo potissimùm nascitur, quòd exemplar, quo usi sunt Massorethæ, correctius fuerit exemplaribus, quibus usi alii Translatores, maximè LXX. E meliori lectione orta est multis in locis melior interpretatio. Nos qui non aliam lectionem habemus ob oculos, quàm Codicis Massorethici, eamdem sine punctis interpretationem assequemur. Sed quamvis exemplar Massorethicum vulgò melius sit aliis Codicibus quos Versiones repræsentant, nonnunquam tamen pejus est. Hinc aliæ Versiones valde necessariæ vel iis qui Massorethicè legunt. Illis autem qui aliis Versionibus utuntur nulla Massorethicæ punctationis utilitas.

3°. Objiciebatur non hanc esse solam Versionum utilitatem, quòd Hebraïci Codicis variam scripturam exhibeant; hunc quoque earum usum esse vel frequentissimum, quòd varias nos edoceant vocum significationes:

nos ergo qui punctationem omittimus ignoraturos quo ſenſu Maſſorethæ interpretati ſint.

Reſpondemus, dato non conceſſo eos qui novam Methodum ſequentur ignoraturos quomodo Maſſorethæ hunc vel illum locum verterint, non eſſe tanti ſcire quomodo Judæi nono vel decimo ſæculo hunc vel illum locum intellexerint, dummodo conſtet de ſenſu vetuſtiorum Interpretum, illorum præſertim quos Eccleſiæ comprobavit auctoritas. Nam hoc vel illo loco Maſſorethæ conſentiunt cum aliis omnibus, quod fit in parte Scripturæ multò maximâ, aut conſentiunt cum aliquibus tantùm, aut ab omnibus diſſident. Si primum; nihil novi doceret eorum interpretatio: ſi ſecundum; licet ignoremus quem ſenſum ſecuti ſint Tiberienſes, tamen, quod idem eſt, ſenſus quem ſecuti ſunt nobis offertur ab Interprete quîcum concordant. Hunc ubi melior erit eligemus. Si denique à cæteris Maſſorethæ diſcrepent; tum eorum interpretatio vel erit melior, vel pejor, vel æqualis. Si pejor; non eſt cur eam requiramus. Si æqualis; jactura facilis eſt. Præterea ſenſum illum Maſſorethicum Lector attentus deprehendet, cùm nova pro-

nunciatio nullum excludat. Si melior erit interpretatio Masſorethica, plus quidem videtur eſſe difficultatis. At præter quàm quòd rarò contingit, ut ſine aliquâ ſcripturæ diverſitate Veteres omnes deteriora ſecuti ſint, ſoli Maſſorethæ rem acu tetigerint; tum Lector hunc ſenſum vel per ſe ipſe aſſequetur, vel ſi non aſſequetur, nihil eſt periculi quòd in Veterum concedat ſententiam. Tunc enim res erit levicula, & incerta ejus ſensûs bonitas, quæ nec Lectoribus objiciat ſe ſe, & doctiſſimos Interpretes fugerit.

4°. Inſtabat Vir Clariſſimus maximam eſſe Maſſorethicæ Verſionis auctoritatem, tum quia perpetuam Judæorum Traditionem continet, tum quia Docti omnes eam plurimi faciunt, & ipſe Cappellus negat ſollicitandam eſſe Maſſoretharum punctationem.

Sed illam, ſi Deo placet, perpetuam Traditionem, quàm inconſtans fuerit, oſtendimus. Doctorum judicia nihil moramur, quibuſcumque punctatio Maſſorethica non eſt Tranſlatio, ſed pars eſſentialis Textus Hebraïci. Alii verò, quos inter Cappellus, nolunt quidem moveri aut ſollicitari punctationem Maſſorethicam, ubi nulla melior dari poteſt; ſed advertendum & illis &

Cappello incompertam fuisse legendi rationem sine punctis.

Itaque cùm necessariò punctis utendum esset, quorsum recederent à Massorethis, nisi ut meliora substituerentur? Nobis verò, qui legimus & intelligimus sine punctorum præsidio, inutilis est hâc in parte Tiberiensium labor.

Hoc Cappellus non ægrè caruisset, qui si tenuisset modum enunciandi voces sine punctis, omnem punctariam Grammaticen unâ liturâ coërcuisset.

Neque existimandum est locis omnino paucis deferendam esse interpretationem Massorethicam, ut aiebat Vir doctissimus. Nam repudianda videtur non solùm ubicumque sensum minùs aptum, minùs cohærentem facit, sed etiam ubi Massorethæ sensum non quidem malum per se se, nec incommodum, sed diversum ab interpretatione Veterum æquè bonâ elegerunt. Tum Antiqui præsertim LXX. magis audiendi sunt. Hoc autem duplex genus si conjunxeris, certum est à Massorethis sæpissimè recedendum. Quæ cùm ita sint, timendi locus est, ne qui legunt ex institutis Massorethicis, illâ interpretatione contenti, ulteriùs quærere nolint, & dum sibi videntur scire Hebraïcè;

nil nisi Massorethicè sciant.

Superest tertia propositio: eos, qui novâ utentur Methodo, Versione Massorethica privatum iri. At neque hoc omnino verum est. Nam

1°. Pars Versionis Massorethicæ meritò dici potest vocum scriptarum divisio, quam à Massorethis inductam vulgò putant, cùm omnia priùs uno tenore scriberentur. Hâc nos etiam fruimur, cujus licet non sit habenda ratio, nisi quatenus sensum meliorem parit, non est tamen, cur antiquum scribendi morem requiramus, ne perpetuus ille tenor tam fatiget oculos quàm levat punctorum absentia. Non ignotæ nobis quoque sunt periodorum & commatum distinctiones, quanquam vellemus sæpissimè & collocatas feliciùs & inventas majore numero. Utimur denique variis lectionibus quas Massorethæ sui Codicis margini apposuêre. Quæ omnia quàm latè pateant nemo non videt.

2°. Habemus ad manum non unam sed plurimas Versionis Massorethicæ Translationes à Viris doctissimis, etiam Judæis, adornatas, è quibus certò discere queas, quænam fuerit Massoretharum sententia. Qui non fidet Translationibus, ei præstò sunt Lexica

Massorethica, quorum inspectu cognoscet utplurimum, quænam sit hujus & hujus vocis hâc vel illâ punctatione significatio, etiam si punctorum nomen & potestatem ignoret. Quod quidem erit perfacile, præsertim homini qui Linguam Hebraïcam jam sciet.

3°. Denique si quis est quem delectet vel juvet nosse Judaïcè, discat per me licet; at quibus Hebraïcè nosse fuerit satis, eos ne vituperet. Cæterùm auctor illi sim, ut ne priùs attingat Massorethica quàm Hebraïca didicerit. Sic levior fiet divisus labor, nec assuescet, quod ferè contingit, Judaïcam interpretationem pluris æstimare quàm decet, Rabbinorumque opinationes Christianis Versionibus anteferre.

Atque hæc in novæ Methodi gratiam scribenda esse duxi non amore partium, sed unius Veri sacrarumque Litterarum studio. Faxit D. O. M. ut eodem animo legantur quo scripta sunt.


Quoniam autem neque nostra neque Masclefiana probabuntur omnibus, & alius post D. Guarini obitum Massoræ *jam partus Achilles*; qui calamum in nos strinxerint, hos ego monitos velim, ut novis rationibus oppugnent quæstionis arcem, nimirum hæc tria principia: *Hebraïcam Linguam sine pun-*

ctis addisci posse. Plenam sacri Codicis intelligentiam ad Massorethas certâ Traditione non fuisse propagatam. Pronunciationem Masorethicam ab antiquâ quod ad ipsam substantiam discrepare. Hæc intacta si reliquerint, si vetera tantùm repetierint, si contenti nonnullas è nostris rationibus carpere, rixari quàm pugnare maluerint; quidquid scribent id pro indicto me habiturum sanctissimè polliceor.

Utar ergo pro clausulâ Scriptoris ingeniosissimi verbis in dispare negotio. *La victoire d'une cause ne se perd pas parce qu'il sera arrivé à un Avocat de ne raisonner pas toûjours juste, d'avoir des pensées en un lieu qui ne sont pas tout-à-fait à la suite de celles qu'il a eües en un autre, de pousser trop loin en certains endroits sa pointe, de s'égarer quelquefois. Tout cela m'est arrivé peut-être. Mais comme nonobstant ces defauts qui ne sont que ceux de la personne du Defenseur & non pas ceux de la cause, je crois avoir dit des choses qui établissent incontestablement ce que j'ai voulu soûtenir, je déclare encore un coup, que si les* Defenseurs des Points *veulent se justifier, il faut qu'ils répondent à ce que je dis de fort & de raisonnable, & qu'ils n'imitent pas cette Methode des Controversistes qui fait qu'il n'y a point de livre si*

*terrassant contre lequel on ne publie quelque rèponse, & qui consiste en ce qu'on cherche les endroits où un Auteur aura mal cité un passage, emploïé une raison tantôt d'une manière, tantôt d'une autre, & que l'on peut rétorquer, & commis tels autres défauts presque inévitables. Un homme qui sait ramasser tous ces endroits & détacher quelque raison de ce qui en fait l'appui dans les pages précédentes, & la véritable fin ou allusion à laquelle l'Auteur l'avoit destinée fait une grosse réponse au meilleur livre, laquelle paroît triompher à ceux qui ne comparent pas exactement & sans préoccupation les deux pieces. Voilà d'où vient qu'on répond à tout. Mais à proprement parler, ce n'est pas réfuter un livre; c'est laisser sa cause dans les fers; c'est seulement faire l'*Errata *de son Adversaire. Et pour moi, si l'on ne fait autre chose contre ce Livre, je me tiendrai pour vainqueur.* (Bayle Disc. prélim. sur le Commentaire Philosophique.)

FINIS.



INDEX ARTICULORUM

Qui his Vindiciis continentur.

FINIS.

APPROBATION.

J'AY lû par ordre de Monſeigneur le Garde des Sceaux un Manuſcrit qui a pour titre : *Franciſci Maſclef Preſbyteri Canonici Ambianenſis Grammatica Hebraïca à punctis aliiſque inventis Maſſorethicis libera* &c. Il y a eu une premiere Edition de cet Ouvrage qui a été bien reçûë du Public. On aura lieu d'être encore plus content de cette ſeconde Edition, dans laquelle l'Auteur ajoûte à la Grammaire Hébraïque, les trois Grammaires Chaldaïque, Syriaque & Samaritaine, traitées ſuivant la même Methode. A Paris le dix-ſept d'Avril 1726.

SAURIN.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS par la grace de Dieu Roi de France & de Navarre ; A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans

Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Notre bien amée la Veuve de Gilles Paulus-du-Mesnil Imprimeur Libraire à Paris, nous ayant fait remontrer qu'il lui avoit été mis en main un Ouvrage qui a pour titre : *Franciſci Maſclef Preſbyteri Canonici Ambianenſis Grammatica Hebraïca à punctis aliiſque inventis Maſſorethicis libera*, qu'elle ſouhaiteroit imprimer ou faire imprimer & donner au Public, s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A ces cauſes voulant favorablement traiter l'Expoſante ; Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, d'imprimer ou faire imprimer ledit Ouvrage ci-deſſus ſpecifié, en tels Volumes, forme, marge, caractere conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de dix années conſécutives, à compter du jour de la date deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance. Comme auſſi à tous Imprimeurs-Libraires, &

autres d'imprimer, faire imprimer; vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire ledit Ouvrage ci-dessus exposé en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sans la permission expresse & par écrit de ladite Exposante, ou de ceux qui auront droit d'elle; à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers à ladite Exposante, & de tous dépens, dommages & interêts. A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles; que l'impression de cet Ouvrage sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant que de l'exposer en vente, le manuscrit ou imprimé qui aura servi de Copie à l'impression dudit Livre sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & feal

Chevalier, Garde des Sceaux de France, le sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nosOrdres; & qu'il en sera ensuite remis deux exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château duLouvre, & un dans celle de notredit très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France,le sieur Fleuriau d'Armenonville,Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Presentes. Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposante ou ses ayans causes pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Presentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin duditLivre, soit tenuë pour duëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feauxConseillers & Secretaires,foi soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires; Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le 31. jour du mois d'Oc-

tobre, l'an de grace mil sept cens vingt-six, & de notre Regne le douzieme. Par le Roi en son Conseil.

CARPOT.

Regiſtré ſur le Regiſtre VI. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 529. fol. 420. conformément aux anciens Reglemens confirmez par celui du 28. Février 1723. A Paris le 28. Novembre 1726.

D. MARIETTE,
Syndic.

9e tome

